XLII

Skjenket Fyens' Stiftsbiblio-
thek af Forfatteren 1819.

De

Actione hydrargyri medica.

Dissertationis

Particula secunda

Quam pro summis in Medicina honoribus
rite obtinendis
Publice defendere studebit

Auctor

Carolus Otto

Respondente ornatissimo

Birgero Hoppe
Licentiato medicinæ.

Die xvij Septembris h. l. q. s.

Hafniæ MDCCCXIX.

Typis excudebat Andreas Seidelin,
Aulæ Regiæ & Universitatis Typographus.

Ordo Medicorum in Universitate Hafniense inaugurale hanc dissertationem, concinne exaratam, ut documentum felicis i genii diligentisque studii librorum, qui ad auctoris hypothes maxime faciunt, suo consilio aptam judicat.

J. D. Herholdt.
h. a. Decanus Facult. Medicæ.



ELENCHUS.

PROLEGOMENA.

Sectio prima.

Actio hydrargyri theoretice explicata.

I.

Effectus hydrargyri porrecti et conclusiones exinde deductæ.

II.

Principia physiologica; annotationes pathologicæ et therapeuticæ illis superstructæ; actio hydrargyri declarata.

III.

Declaratio phænomenorum, quæ ab adhibito hydrargyro derivantur et reconciliatio principalium de actione hydrargyri habitarum opinionum.

Sectio secunda.

Actio hydrargyri practice explicata.

I.

Usus hydrargyri in inflammationibus.

PROLEGOMENA.

"Utile nisi sit quod facimus stulta est gloria stultusque labor". Hæc verba, quæ menti inculcari et oculis obversari quodcunque opus scientificum incipientis debent, nec me, manus huic disquisitioni, quam nunc ad finem perduxi, imponentem fugiebant; nec examinare negligebam, an opera et labor, quæ scopum attingendi causa necesse esset ut impenderem, vere non stulta essent; an disquisitio hujusque summa vere scientiæ prodesse possent; et sane haud solum quod ad hanc materiam tractandam a cl. præceptore demortuo dilectissimo incitabar, sed quod firmiter persuasum mihi habebam opere meo utilem esse, factum est, ut ad hoc impulsus sim. Sed alia parte bene intellexi, illam objectionem mihi accidere posse, bene prævidi fore ut quæreretur: quo hæc examinatio? materia

velo densissimo obtecta est! Difficillimæ sunt res, difficillima est explicatio! num putare audes, te nodum solvere posse?

Sed nonne ita se habet, nonne in illis opponendis etiam conceditur, quod vix ulla artis îatricæ pars detur, in qua tantus sit defectus, tanta copia rerum indagandarum restet, quam in ea de actione remediorum? Nonne medici cujusque est, amore divinæ suæ scientiæ ardentis, tentare huic inopiæ occurrere, lucemque in tenebras inducere? num unquam ad scopum, nisi id adspirantes, venire possumus? num inertia nihilque faciendo quid proficitur? Num de aliqua difficili et gravire detegenda desperandum est? Num tot et tanta, quæ olim haud inveniri posse credebantur, unquam ad lucem ita prolata essent? Nonne ipsa difficultas, nonne hæc multifaria obstacula adhuc magis animum stimulare debent? Nonne tamen quisque medicus cogitans semper et sæpe involuntario sibi theoriam format atque in agendo meditatur; nonne eodem gradu ac theoreticum modo damnandum est, empericum solum esse? Quodsi etiam post investigationem rei obscuræ sed magni momenti haud rectum et verum reperitur, quodsi etiam tunc est erratum, tamen monstratum est, e quibus partibus haud res consideranda sit et for-

sitan indicata via, in qua incedendum Quivis conatus, quo symbola fit ad cognitionem alicujus rei gravis et magnæ perfectiorem reddendam gratius excipiendus est, ac illa desperatio, qua quis contendit se nihil pro hac re, quia difficillima cognitu sit, facturum esse, "præstat enim conjectura aliquid consequi quam nihil scire ac investigationi omni supersedere".

Si magno cum timore particulam primam hujus examinationis tradidi, in qua insufficiens et improbabile in opinionibus de hac materia jam habitis indicare audebam, eo minore confidentia, eo majore trepidatione fit, ut hic meas ipsius sententias proponam "etenim scio, quanto periculo medicus sit obnoxius, qui contra artis præcepta, quibus ex usu major auctoritas accessit, audacior surgat eaque proprio ingenio libere æstimet".

Quod verosimile mihi visum est, quod post hujus rei investigationem concludendum esse credidi, in medium protuli; fieri potest, ut multa contradici possint, multaque, quæ theoriam meam concutere valeant, et confiteor, allata conjecturas solummodo esse; fateor, me in pluribus locis admodum audacem fuisse; sed a facto egressus, cognitis et certis opiniones superstruere conatus sum. Ne autem ille, qui

eas rejiciat, me reprehendat, sic laborem stultum fuisse, ne tum ovans objiciat, sic melius fuisse hanc materiam in medio relinquere; vix enim præsertim in nostra scientia aliquid datur, in quod haud multa et multifaria dici possint; sed si etiam ita se res habet, num ideo omnia falsa, omnia perdita sunt? Nonne hanc ob rem opus, multa necessaria innuendo, multa obscura explicando, multa dispersa colligendo multosque errores diruendo, et, si non alio modo, tamen negative prodesse potest?

Quæ cum ita sint, dum his meis observatis utilitatem practicam adjungere tentavi, quando considero, quod mercurius, ut remedium eximium in innumeris morbis applicatum, ad eo majorem attentionem incitare, quæque de eo disquisitio cuique medico grata esse debeat, hic finiens, indulgentiam et lenitatem lectoris benevoli iterum iterumque rogans, persuasione maxima ductus dicere audeo: utile est, quod fecimus nec stultus erat labor!

Sectio Prima.

Actio hydrargyri theoretice explicata.

I.

Effectus hydrargyri porrecti et conclusiones exinde deductæ.

§. 1. Postquam vidimus, quot et quanta sese sententiis de actione mercurii hucusque habitis opponant, nec ita assumere possumus, illud medicamentum ullo modo jam memorato efficax esse; postquam sic hæc magni momenti quæstio haud soluta putanda est, et tamen semper ob rei gravitatem ad novas examinationes stimulat, audemus nostram sententiam in medium proferre, dum propter investigationem illarum opinionem institutam jam cavere, ne viis illis cum parvo successu tentatis incedamus, et aliam novam nobis eligere possumus; dumque speramus, fore ut, si non scopum nostrum attingamus, tamen forsan modum indigitemus, quo actio remediorum examinanda esse videatur.

Hanc inquisiturum decet ad effectus eorum in corpore attentionem vertere suam, eosque trutina exactissima examinare, non solum vim eorum mechanicam aut chemicam, sed præ-

sertim vim dynamicam ob oculos habere. Organismus vitalis semper impedit, quo minus potentiæ externæ qualitatibus iis propriis agant, et functiones ejus omnes eo tendunt et collimant, ut noxa medicamentorum aut alimentorum ob vim suam chemicam possibilis in corpore avertatur vel saltem minuatur. Ad hoc autem non sat respectum habuerunt illi, uti quoque nec exacte effectus mercurii inquisiverunt, nec qualitates, phænomena principalia, causamque proximam morborum, contra quos adhibebatur hydrargyrum, eodemque tempore sat examinarunt; et tamen hoc solo modo, examinatione et effectuum metalli in diversis præparatis porrecti, et morbi, cui opponitur, possibile fit actionem ejus perspicere. Quando proximum morbi vitium cognoscimus, quando hoc remedio præcepto tolli vel diminui videmus, concludere bene possumus, hanc vim principalem ei inesse. — Consideremus, igitur effectus diversorum hydragyri præparatorum in corpus humanum et phænomena insequentia, quæ pro diversa forma, qua cum organismo communicatur, diversa sunt.

§. 2. Quoad *mercurium vivum*, num in tali statu metallum effectus veneficos et salutares habeat, magna controversia fuit inter auctores, quorum et sunt, qui hoc afirmant et qui

negant. *Zwinger*[1]) dicit, hominem, diu colica vexatum, die tertio morbi uncias quatuor mercurii crudi ingessisse, quæ mox nihil efficerent sed die septimo salivationem largam producerent sine tumore linguæ aut glandularum oris; die nono mercurium per alvum secessisse ægrotumque sanatum esse. *Laborde*[2]) de homine narrat, qui per quatuordecim dies in corpore uncias septem circiter mercurii metallici retinebat, quas tum sequebantur salivatio larga, ulcera oris et paralysis extremitatum. *Orfila*[3]) annotat, pluries canibus uncias octo mercurii cum unciis quatuor adipis mixtas esse porrectas, nullosque casus morbificos secutos esse. Incolæ Londini et Edinburghi initio seculi decimi septimi impune omni mane ut præservativum contra arthritidem et calculos magnam copiam mercurii fluidi in unciis quinque olei sumebant[4]). Auctore *Sue*[5]) quidam per longum tempus quotidie libras duas metalli ingessit consilio per alvum numum in oesophago evacuandi, quæ copia notabilis

1) Ephemerides de cur. de la nature 1688. Obs. CCXXX.
2) Journ. de Med. T. L. p. 5.
3) Traité des poisons T. L. p. 118.
4) Vid. *Desbois de Rochefort* matiere medic. 1789. T. 1 p. 213.
5) Vid. journ. de Physique T. LXX.

sine damno quotidie eliminabatur. *Fordyce*[1]) exemplum affert hominis, qui per annum quotidie unciam mercurii crudi cum integra sanitate deglutivit. Quamquam olim adversus volvulum et obstructionem alvi admodum commendabatur vivus, atque etiam nuperioribus temporibus a *Moscati* et *Brera*[2]) laudatus est, frustra a multis in illis morbis adhibitus est, nullumque levamen exinde derivandum apparuit. E quibus dictis elucet, mercurium crudum in genere nullas virtutes saniferas habere, dum sic haud solvatur, nec massam humorum intret[3]); modo tunc mechanico solum agere, tamen haud semper innocuum, nec sine effectibus propter casus accidentales, ob diuturniorem in canali instinali moram, vel aliquod impedimentum, quibus ab evacuatione prohibitus oxydari et sic effectus oxydorum hydrargyri producere possit[4]). In tali statu hanc ob rem jam fere

1) Vid *Girtanner* üb. die venerische Krht 1ster Bd. Pag. 276.

2) In Journ. d. ausl. med. Litteratur 8ter Band.

3) Cfr. Greens Pharmacol. 2 Th.

4) Vid. particul. 1mam hujus disquisitionis. *Millari* in foemina, cui ob obstructionem alvi sensim unciæ ex mercurii vivi porrectæ erant, quæ per tres hebdomades in ea manserant, angustationem canalis intestinalis et supra eam mercurium invenit, cujus magna copia cum muco intestinali in massam viridem gela-

nunquam porrigitur, cum in aqua cum mercurio cocta, contra vermes efficaci, mercurius oxydulatus partim in superficie ante coctionem jam præsens, partim sub coctione productus immixtus sit [1]).

§. 3. *Vapores* mercuriales, globuli mercurii in infinitas partes per caloricum divisi, effectus admodum funestos habent. Servi, qui in America in fodinis mercurium e terra eruunt, modo brevi vita fruuntur; Idriæ, quamvis omnis cura ad sanitatem servandam navatur, operatores post aliquot annos morbis atrocissimis corripiuntur, et vix per dimidium annum salva sanitate qualitates horum vaporum nocivas ferunt. Sic etiam ad Mysam in Bohemia fodinæ mercuriales sunt, in quibus operatores anno dimidio præterlapso paralysi omnium artuum infestantur, ineptique ad ulteriorem operam evadunt. Afficiuntur illi vero statu hectico cum cephalalgia et vertigine obtusa, facie pallida, debilitate totius corporis, emaciatione, languore omnium functionum, abolitione memoriæ, cæterarumque mentis facultatum, circulatione sanguinis admodum lenta, asthmate, hæmoptysi, paralysi,

tinosam mixta erat (vid Saml. für prakt. Aerzte 10ter Bd. Pag. 398) Similem casum refert *Koch* (ibid).

1) Cfr. *Voigtel* Arzneymittell. 2ter Th. pag. 322.

elapsu dentium, atrophia, ipsisque convulsionibus scenam claudentibus. [1]) Sic subito etiam familia rustici tota vertigine caduca corripiebatur, quia mercurii parva copia e thermometro exemta furno imposita erat, cujus calor mercurium in vapores abegit; et incendio in fodina Idriensi anno 1803 erumpente, nongenti homines in paralysin obstinacem inciderunt. [2])

Quam frequenter porro talia symptomata nervosa ab efficacia systematis nervosi diminuta vel præternaturaliter alienata præsertim apud eos occurrant, qui largam copiam ingerant hydrargyri, quantitas notabilis deauratorum probat, qui in paralysin aut in phthisin, nisi cautelæ omnes adhibeantur, incidunt. Aurifices iisdem malis infestantur; pauci horum sunt, qui operibus suis operam debitam navantes haud morbis sæpe laborant, et, si non cito diem supremum obeunt, statu morte ipsa infeliciore, scilicet plenaria musculorum inefficacia et perfecta ineptitudine opera sua diutius continuandi corripiuntur. *Jüngken* [3]) dicit, manus et collum horum artificum tremere, dentes elabi, faculta-

1) Vid. Falk von dem Queckſ. u. deſſen Kraft ꝛc. p. 21, 22 et 38.

2) Vid. Krünitz's Encyclopædie. 119ter Th. Pag. 404.

3) Chymia experimentor: curiosa sect. v. c. 11.

tem obambulandi perdi; pedesque ulceribus malignis infestari. Idem refert *Fernelius*, [1]) exemplum aurificis narrans, quem vapores mercurii in deaurando in tam miserum statum redegerunt, ut etiam stupidus, surdus et fere plane mutus evaderet. Historiam similem affert *Forest* [2]) de artifice quodam, quem vapor hydrargyri, quod incaute apud se portaverat, paralyticum fecit. Soporosus, stupidus et fere prorsus surdus evadebat. Appetitum habebat et cibos ingerebat, evacuationem autem excrementorum haud sentiebat, et solummodo audiebat, quando in auribus clamabatur; post sex menses febri corripiebatur, quæ ei facultatem loquendi reddebat, sed mens turbata manebat, etiam postquam febris ad hecticam mutata erat. Noster cl. *O. Borrichius* [3]) narrat, deauratorem germanum ob vapores mercuriales in vertiginem gravem cum anxietate maxima, facie mortui simili, et tremore artuum conjunctam incidisse *De la Martiniere* [4]) dicit, deauratores sæpe brutos et soporosos fieri; *F. Poncettus* [5]) loquelam

1) De abditis rerum causis, de lue venerea.

2) In suis observat. LVIII, observ. V.

3) Acta med Vol. II. p 196.

4) Traité de la malad. vener. &c. 1664.

5) De venenis, cap. 21.

mox post ingestionem vaporum mercurialium amitti vidit; *N. W. Becker* [1]) artificem deauratione præsertim sese occupantem subito lipothymia & convulsionibus, quæ mortem inferebant, invadi observavit; apud alium deauratorem *Poterius* [2]) colicam vehementissimam, pictonum haud dissimilem a vaporibus hydrargyri vidit. *De Haen* [3]) in talibus sequentia symptomata in vapore mercuriali adspexisse narrat: vocem mutatam balbutientem, impeditam, impossibilitatem corpus erectum tenendi, tremorem omnium artuum, præsertim extremitatum superiorum, languorem virium, debilitatem musculorum, dolores rheumaticos, paralysin &c. *Ramazzini* [4]) se juvenem vidisse dicit, qui deaurando primum in cachexiam incideret et postea facie pallida et cadaverosa, oculis tumescentibus, respiratione difficili, viribus mentis labefactatis et rigiditate corporis laboraret, quæ symptomata sequerentur ulcera oris foetida cum effluxu puris, et mors denique finiret.

1) Ephemerid. academiæ nat. curiosæ Dec. I Observ.

2) Observ. & Annot. cent. I. p. 163 editio Hoffmann.

3) Ratio medendi cap. 6.

4) Abh. von den Krhtn der Künstler u. Handwerker 2 Bd. 2 Cap.

Similes effectus habebant illæ fumigationes veterum, quibus efflorescentias, ulcera præsertim syphilitica sanare studebant, dum etiam robusta solum corpora illis apta credebantur, et plura aromatica et analeptica suffiminibus effectus nocivos evitandi causa immiscebantur. Causa, cur sub hac forma mercurius agat et noceat, et quam *Ackermann* a majore metalli penetrabilitate vi ignis producta derivat [1]) adscribenda est oxydulationi, quam per ignem et aerem subit mercurius, et qua aptus fit solvi et in organismum viribus sibi propriis agere.

§. 4. *Præparata hydrargyri oxydulata*, e quibus habentur æthiops mercurii per se, hydrargyrum gummosum, alcalisatum, saccharatum, tartarisatum, æthiops mineralis et antimonialis, hydrargyrum mellitum, terebinthinatum, unguentum hydrargyri cinereum, emplastrum mercuriale, hydrargyrum ammoniaco-sulphuricum, præcipitatum cinereum, mercurius solubilis Hahnemanni, sapo mercurialis, mercurius niger Moscati, diutius adhiberi possunt, antequam effectus eorum sequuntur, qui in genere leves et leniores sunt. Excitant sæpe intumescentiam gingivarum, dolores pharyngis,

1) In notis ad opus *Ramazzini* Vol. II. p. 154.

ulcera oris, salivationem, vertiginem, febrem, tremores et dolores artuum, sed haud facile diarrhoeam, emesin vel colicam. [1]) *Oxyda hydrargyri*, quo pertinent mercurius præcipitatus per se, mercurius præcipitatus ruber, turpethum minerale &c. facillime vomitum, diarrhoeas et dolores colicos producunt, etiam paucis granis effectus incitationis exserentia ut venena vehementia agere valent [2]).

§. 5. Quoad *Salia Mercurii*, inter quæ quoque numerantur hydrargyrum phosphoricum, tartaricum, aceticum, sufficiet effectus sequentium principalium exponere.

Mercurius præcipitatus albus et *mercurius nitrosus* ab auctoribus inter remedia admodum caustica collocantur, nihilominus tamen cedentes *mercurio sublimato corrosivo*, sali maximam copiam oxygenii continenti. Jam parva dosi hoc præparatum ut canalem intestinalem, organa circulationis et secretionis incitans agit. Si dosis augetur, aut sal diutius porrigitur, sequuntur colicæ, vomitus; glandulæ salivales inflammantur et graviter dolent, pulsus celerrimus

1) Vid. Voigtels Arzneymittell. et Greens Pharmac. 2ter Th.

2) Vid. ibid.

contractus observatur, saliva, magna quantitate se secernens, acris, corrosiva est, lingua et gingivæ tumescunt, dentes nigrescunt, vacillant, decidunt, halitus foetet, ossa palatina et maxillaria etiam sæpe elabuntur, caput et facies tument, deglutitio atque respiratio sic impediuntur, vox valde perturbatur, ad speciem mugitus mutatur; insequuntur cardialgia, dyspepsia, diarrhaea, dysenteria, inflammationes diversæ, dyspnoea, hæmoptysis, phthisis pulmonalis, dolores vehementes musculorum, tendinum et articulorum, tremores artuum, paralysis, tetanus, mania, mors. Magna dosi sublimatus porrectus ut venenum vehemens agit, occasionem præbet symptomatibus gravissimis et vitam intra breve temporis spatium finit. [1]) Experimentis injectionibus in ventriculum animalium factis [2]) mox observabantur insensilitas maxima, motus convulsivi citaque mors, post quam musculi voluntarii per aliquod tempus tremebant. Obducenti apparebat in pectore cor motus expers, sanguis in cavo sinistro purpureus, ingestum in cardia ventriculi expansi fluidum, solidum et durum in

1) Vid. ibid.

2) Vid. Further experiments and observations on the actions of poisons on the animal system by *Brodie* 1812.

pyloro, in medio constrictio notabilis, membrana mucosa in pyloro sana et integra, in cardia vero gryseo - brunnea, facilisque abrasu. Observata sunt aliis vicibus vomitus, inquietudo, pupillæ dilatatæ. Per applicationem externam mors tranquillissima subveniebat, dum mox post torpor sequebatur, claudebantur oculi, rarescebat respiratio, motus cordis vix sensibilis erat et nulla doloris signa conspiciebantur. Symptomata sibi prorsus opposita sæpe sunt; jam sensibilitatem prorsus infringit atque animal sine dolore ullo moritur, jam sensibilitas ad gradum maximum aucta est et mors sub maximis et actrocissimis cruciatibus scenam claudit. Jam spasmi, convulsiones, sudores frigidi, delirium, jam coma, torpor, insensilitas observantur.

Mercurius dulcis, majorem copiam metalli in se habens, etiam mitius agit, non ita incitat nec illos effectus producere valet.

Postremo haud superfluum est symptomata illa in medium proferre, quæ sub nomine febris mercurialis enumerat *Hahnemann*; scilicet sunt: sapor oris metallicus, frigus extremitatum, aurium, anxietas, sensus abdominis ingratus, pulsus celer sæpe ad centum ictus adauctus, symptomata catarrhalia, vertigo obtusa aut occiput aut radicem nasi præsertim occupans,

rigiditas dorsi et colli, debilitas, somnus inquietus, dispositio ad sudorem, crusta phlogistica sanguinis e vena emissi; continuatione: siccitas, tumor & dolor oris, dentes obtunduntur atque elabuntur, gingivæ tumescunt, facile sanguinem fundunt, sitis notabilis, halitus foetidus, salivatio spissa crebra, ulcera; usu diuturniore: debilitas omnium solidorum, emaciatio cum febre hectica, symptomata nervosa, phrenitis, hæmoptysis, colicæ vehementes, tremores et dolores artuum, arthritis et rheumatismi, oedema extremitatum, vulnera parva facile ad ulcera insanabilia commutatantur, cachexia generalis et in fluidis et in solidis exoritur atque sensim sensimque systema nervosum prorsus aboletur.

§. 6. Ex his expositis, dum per se patet, effectus præparatorum hydrargyri necessario pro diversa organismi constitutione diversaque ejus ad medicamentum ratione differre, sequentia jure deduci possunt:

1) Vis incitans metalli cum majore copia oxygenii contenti augetur, in genere oxydulata lenius quam oxyda, hæc mitius quam salia mercurialia agunt [1]).

1) Vid. inter plures *Voigtel* l. c. p. 296, et *Hartmann* pharmacolopa dynamica Vol. 1.

2) Mechanica modo est metalli actio antequam oxygenium cum eo communicatum est, quod ad ejus solutionem producendam plane est necessarium.

3) Symptomata producta sæpi sibi prorsus opposita sunt, uti dolor gravissimus et insensibilitas, delirium & torpor, expansio et contractio etc.; qua observatione probabile redditur, per vim duplicem agere præparata, quæ invicem certamen sustinet. Sic agunt per medium præsparativum sc. oxygenium et per qualitatem proprie metallo innatam; illa vis incitans est, hæc, quamquam illo incitante, ut solutio fieri possit, opus habens, opposito modo agit [1]).

1) Cfr. *Gmelin* Allgemeine Geschichte der mineralische Gifte 1777 "Meistens wirken sie, so mild und unschädlich auch das Quecksilber an sich ist, durch eine ganz ausnehmende Schärfe (Pag. 40)" Einige haben ihre Schärfe einer innigst in sie verwebten starken mineralischen Säure zu danken (Pag. 42). Hahnemann Unterricht für Wundärzte über die vener. Krht 1789, qui dicit, præparatum mercuriale lenissime calcinatum optimum esse, quod nulla conjunctione cum corpore chemico in causticum mutatum tutissime solvatur et absorbeatur; præparata caustica nullam vim medendi habere in syphilide, et si interdum efficaciam ostendant hoc derivandum esse ab incitatione accidentali acidi, quod curam promoveat aut nervos incitando aut alia incitationis specie miasma venereum, quo minus sua symptomata exserat, impediendo. Nemo magis nostræ sententiæ assentiri, sed etiam nemo obscurius magisque per nebulam hoc exprimere videtur quam *L. Vogel*

4) Mercurius massam humorum sanguinemque intrat et chemice mutatur; hoc probant sapor et odor metallicus in mercurialia adhibentibus; casus, in quibus hydrargyrum, oxydatum quamquam porrectum, metallico statu inventum est et mutatio coloris ornamentorum aureorum in album apud ægrotos; ita etiam sine dubio mutat humores, sanguinem, bilem; id quod etiam demonstrant odor specificus aeris exhalati pulmonum et mixtio salivæ et sanguinis

(Heilkunde der venerischen Krht 1817 Pag. 254 = 256) Modo enim mystico philosophis illis proprio loquitur. "Da das Reich des Todes, das Metalreich das Reich und die Quelle ist, woher alles natürliche Unheil, alles physische Bøse, alle Naturgiften entspringt, das Quecksilber aber die Materialitet und Substanz des Todes ist so trägt das Quecksilber als Substanz des Todes, die Materie aller Giftigkeit in sich und ist gleichsam die Mutter aller Gifte. Diese Giftmaterie ist aber, so lange sie todt ist, nicht weiter wirksam als nur durch die Schwere. Ihre Gefährlichkeit beginnt erst mit ihrer Belebung. Die Belebung des Metalmercurs fängt von dem Einflusse des Astralmercurs ab, von dem Lichte (i e. ab Oxydatione) "Je mehr das Astralwassergas auf den Metalmercur einwirkt, und je mehr es sich mit ihm verbindet (i. e. quo magis oxydatur) desto stärker wird die Kräft dieses Mercurs. Postea dicit, possibilitatem vis mercurii medendi consistere in possibilitate se ab elemento astrali (id quod eum vivum fecit, oxygenium) separandi et cum substantia elementari microcosmi affecta ad commercium cum eo nitente conjungendi "Die verschiedenen Grade der Leichtigkeit mit welcher diese Abtrennung und Abscheidung aus den Mercurialpræparaten vor sich gehen kann, giebt den Maaßstab die Heilkräfte der Mercur. Prptn zu prüfen und zu beurtheilen".

mutata, hujusque major venositas [1]). Mercurius ipse est, qui postquam actio sæpe notabiliter incitans medii solventis sublata est, sanguini immissus suas qualitates exserit; et e diverso præparato diversaque constitutione ægroti reliquisque conditionibus major minorve actionis metalli ipsius celeritas. Si alio menstruo, quod non vires oxygenii vel acidorum continebat, efficacia metalli effici posset, forsan effectus proprii citius sequerentur et facilius esset actionem declarare; sed cum symptomata sese manifestantia et ad solutum et solventem, scilicet et ad mercurium et oxygenium acidumve pertineant, bene distinguendi sunt utriusque effectus. Qualitates oxygenii atque acidorum nobis in genere cognitæ sunt, et incitatio, quæ per mercurialia sæpe producitur, his adscribenda est; effectus sequentes antecedentibus oppositi mercurio autem ipsi; [2]) huc sequentia referenda sunt:

5) Systema lymphaticum conspicue & notabiliter mutatur; saliva copiosius in ore effunditur, urinæ copia augetur simulcum materia transpirabile cutis. Usu ejus tumores & nodi

1) Cfr. præsertim Diss. inaugur: medica sistens quædam experim. circa eff. hydr. in anim. viva 1808, et *Autenrieth & Zeller* in *Autenrieths & Reils* Archiv 8ter Bd.

2) Cfr. Nisbet Abh. über die Lustseuche Pag. 285.

evanescunt, resolvuntur obstructa et stagnantia, ossa quoad volumen diminuuntur, et absque dubio uti glandulæ salivales etiam pancreas afficitur. Vim auctam vasorum absorbentium porro probant macilentia animalium usum metalli immodicum insequens, mutatio vulneris inflammati in ulcus edens per mercurium, quo haud solum partes novæ, uti inflammatione genuina, formari impediuntur, sed partes jam formatæ evanescunt, resolvuntur et absorbentur[1]). Ex hac hydrargyri notabili vi in vasa absorbentia plures auctores modo actionem ejus declarare voluerunt, sed monstratum est, talem explicationem haud sufficere[2]).

6) Productioni et reproductioni præsertim inimicus est mercurius, exinde diminutio quoque voluminis ossium eorumque emollitio, exinde emaciatio, debilitas musculorum atque cæterarum partium, exinde inhibita depositio materiæ plasticæ, languor omnium functionum, dentium elapsus, febris hectica, phthisis lentaque mors. Mercurius, uti loquitur *Hegewisch*[3]) omni producto novo damnosus et infestus est, evanescen-

1) Vid. infra et *Jäger* über die Natur und Behandlung der krankhaften Schwäche des menschl. Organismus 1807.

2) Vid. particul. 1mam pag. 99 seqq.

3) In *Hufelands* Journal d. p. H. 28ter Bd. 3ter St.

tiam producit calli, maculæ corneæ, productorum omnium speciei exanthematicæ et herpeticæ; impedit evolutionem caloris; vulnera sclopetaria a suppuratione luxuriosa, ab exsudatione lymphæ introrsum & extrorsum avertit; quæ producta haud solum usu metalli evanescunt, sed a reditu prohibentur; et metallum sic haud solum productum sed productionem abnormalem destruit atque postea in nutritionem, chrystallisationem vivam noxie agit. Quæ cum ita sint nonnulli etiam solummodo sic mercurium agere contenderunt, quod in genere absolute debilitans sit[1], secretionesque propter incitationem in organis secernentibus minorem promoveat. Hanc opinionem, quam omnibus symptomatibus in mercurio sese ostendentibus, naturisque morborum, in quibus vis bona metalli observatur, nitentem haud negare possumus, multis et multifariis sustentari, *Voigtel*[2]) plane impugnare studet, sed objectionibus, quæ maxima ex parte pro nihilo habendæ sunt. Dicit enim, omnes morbos, in quos porrigitur mercurius, asthenicos esse, uti Syphilidem, morbos conta-

1) Vid. *Horns* Handb. d. prakt. Arzn. ym. Pag. 482. Grundriß der med. chir. Arzneymittell. Pag. 272. *Conradi* Beyträge zur Erregungstheorie 1802. 3te Abth.

2) Pract. Arzneym. 2 Th.

giosos, hydrophobiam, hepatalgiam etc. et quæstionem facit, quomodo remedium absolute debilitans his in morbis proficere possit; sed in omnibus illis morbis certe vel saltem initio nulla asthenia adest, quæ si in stadiis sequentibus supervenit, nullas virtutes efficaces monstrat hydrargyrum.

Errare porro videtur *Voigtel*, contendens, si reproductivitatem abnormalem producat lues venerea, remedium debilitans rejiciendum esse, sed incitans, quod reproductivitatem exaltare possit, porrigendum; nam reproductio abnormalis hic ita se manifestat, ut supra normam incitata substantias præternaturales gignat; tunc quidem debilitantia, quæ hanc immodicam reproductionem deprimere valent, haud incitantia indicantur; atque hoc stadium est, cui cum optimis sequelis opponitur mercurius, qui dubium est remedium, quando in progressu reproductio debilitata deprehenditur [1]). Æque infirma est ratio, debilitatem a mercurio manifeste productam a statu ægroti et modo applicationis remedii esse derivandam. E contrario etiam errant illi, dicentes, omnem inflamationem esse asthenicam; et quo minor sit incitatio, eo majorem

1) Cfr. infra.

affluxum humorum; errant, contendentes, opium prorsus vim mercurii infringere. Vix præterea, cum antithesis conspicua inter omnes partes, et systemata corporis regnet, ullum remedium absolute debilitans appellari potest [1]), dum etiam haud in omni casu, ubi debilitantia cætera indicata sunt, juvat hydrargyrum, et vasa absorbentia saltem sat manifeste per mercurium incitantur.

Alii, [2]) medium tenentes, censent, argentum vivum reproductionem morbosam in syphilide, qua semper hæc regeneretur, alterare et tollere, quam ob rem modo ea mala venerea sine mercurio curari possint, in quibus illa alteratio productionis, ut sequela miasmatis, nondum locum habeat, quare et gonorrhaea absque hoc sanetur. Quomodo autem hæc reproductionis alteratio producatur se nescire confitentur. Nos, vasa lymphatica per hydrargyrum incitari haud negantes, his veritatis principiis nitentes, etiam contendere audemus, reproductionem præsertim compescere et debilitare mercurium. Sed quomodo hic effectus, qui mediate se exse-

1) Vid infra.

2) Vid. Jahn Klinik der chron. Krhten 1817; 2ter Theil, Pag. 85.

rere videtur, producitur? Cur reproductio præsertim afficitur et diminuitur? Antequam ad hæc solvenda progredimur, necesse est, ut quædam principia, e physiologia deducta, præmittamus, quibus nostram theoriam, probabilitatem magnam præ se ferentem, superstruere liceat.

II.

Principia physiologica; annotationes pathologicæ et therapeuticæ illis superstructæ; actio hydrargyri declarata.

§. 7. Sicut in organismo omnia sunt consilia & media; sic, uti in omni natura, quoque in organis corporis vivi antithesis existit normalis, quæ conservationi individui inserviens, vitam motumque provocat. [1]) Uno organo igitur incitato, deprimitur alterius vis; id quod admodum doctrinæ Brownianæ repugnat, nam sic incitatio universalis res impossibilis est, uti depressio, debilitas generalis, haud subito exoriri

1) Cfr. Gutfeldt über das Verhältniß der Wechselerregung, Nervenwirk. 2c. 1803 "Alle Thätigkeit ist durch Duplicität bedingt u. mit der Duplicität kömmt ein algemeiner Antagonismus in den Organismus."

potest, sed modo post diuturnum tempus sequitur, quando alterum systema post alterum in consensum a primaria unius affectione trahitur. Remedium quodlibet igitur nec stricte incitans nec debilitans appellari debet, quippe quod non totum organismum debilitet aut incitet, sed quoddam systema, quoddam momentum vitæ hoc vel illo modo afficiat. Ita sæpe effectus sensibiles, per antithesin producti, valde a primariis et propriis differunt, quia forsan systema, quod per polaritatem debilitatur, aut incitatur, magis in totum corporis agit, magis rotam machinæ movet; et cætera symptomata propter debilitatem unius systematis producuntur, ita ut medicus, ne experientissimus quidem, morbum primitivum ab effectibus secundariis separare valeat.

§. 8. Sic etiam se habet cum duobus, quæ vim vitalem constituunt, momentis principalibus, *contractilitate* et *sensibilitate*, illa in systemate vasorum, hac in nervis sese exserente. Illa qualitas organismi vivi, positivo electricitatis polo similis, majore contractione, oxydatione sese ostendens, ad suas vires producendas *sensibilitate* eget, quæ negativo polo comparanda, majore expansione, hydrogenatione characterem suum

exprimens, magis cum rebus externis cohærens iisdem semper afficitur. Æquilibrio justo inter hos duos modos vigente organismus suam vitam et sanitatem conservat, rite cum potentiis externis cohærens et reactione interna iterum in has influxum habens. Sed columnæ galuanicæ modo polaritas maxima quoque inter hæc momenta interest. Systemate musculoso ad motus fortes agitato res externæ haud nos movent; quies diuturna sensibilitatem auget, organaque motus debilitat; hanc ob rem in foetu primum eodemque tempore cor, ut fons systematis irritabilis, contractilitatis, et cerebrum, ut fons poli sensibilis formantur; hanc ob rem rami systematis illius et hujus, nervi et vasa, undique sese comitantur; hanc ob rem pavor et animi dejectio symptomata constantia morborum abdominis, ad sensibilem polum pertinentium, sunt, dum spes maxima et tranquillitas malorum pectoris magis irritabilis comites sunt. Exinde musculi robusti cum cerebro parvo juncti, vis musculorum notabilis in operariis simulcum pingui Minerva et vice versa, animus literatorum sapiens et acutus cum maxima digestionis et musculorum infirmitate; exinde mens sana usque ad finem in tetano correptis; exinde contractio omnium partium firmissima in hybernantibus, quorum som-

nus a sensibilitate per frigus superveniens depressa originem habet; et sic porro.

Sensibilitas ultra modum aucta celeritatem contractilitatis agendi quamvis intendit, tenacitatem ejus minuit et vice versa sensibilitas abnormaliter diminuta contractilitatis vires provocat; ita pathemata incitantia, ira, gaudium &c. vim cordis, arteriarum, musculorum efficaciorem reddunt, et alia parte sensus obtundunt, atque receptivitatem minuunt; ita e contrario terror, timor, metus sensibilitatem augent et irritabilitatem deprimunt. Sensibilitas causa est, cur potentiæ externæ inimice et nocive in corpus agere possint, cum sit illa, quæ eas excipiat [1]), iterumque reagat in partes omnes organismi, reactione tamen admodum a structura, materia et forma organorum dependente; sic causa præcipua est morborum, cum per illam organismus semper tendat ad potentiam nocentem removendam, materiamque morbosam eliminandam, in qua pugna magna ex parte symptomata morbosa existunt. Sat cognitum est, eos, qui debili sensibilitate præditi sint, difficulter a morbis infestari et facile contagia effugere, et qui magno ejus gradu gaudeant, sæpe in morbos incidere, fa-

1) Cfr. Schäffers Versuch eines Vereines der Theorie u. Praxis in der Heilkunst 1817. 1ster Th. P. 124.

cillime contagium excipere; dum etiam sic bene ratio intelligitur, cur tum hi, qui debiles nervos habentes difficulter morbis corripiantur, difficillime quoque sanentur, cum ortus morbi sic vim et copiam permagnam potentiarum nocivarum ob longum tempus, in quo egerunt ad sensibilitatem demum afficiendam, supponat. Annotandum autem est, mobilitatem et tenacitatem momenti bene invicem esse distinguendas, ratione inversa gaudentes; illius augmentum molestias cito transeuntes producere valere; et auctores multos morbos ad classem debilitatis nervorum retulisse, ubi vere e contrario sensibilitas magna prævaleat.

§. 9. Quando ita sensibilitas afficitur, et major invenitur, contractilitas quidem facile provocatur; hoc modo animalia sensibiliora parva nonnullorum nervorum irritatione in convulsiones sæpe incidunt, dum minus sensibilia cum sanguine frigido irritamenta graviora sine illis motibus insequentibus ferunt: comparationes inter ætatem infantilem et adultam, inter sexum foemininum et masculinum, inter incolas regionum borealium & australium idem probant. [1]) Sed licet sic facillime moveatur con-

1) Cfr. Jäger l. c. P. 150.

tractilitas ob augmentum sensibilitatis, sine tenacitate, sine viribus propter suam antagonistam apparet, et inferior est, donec vel illa sensibilitas per artem minuatur, vel se ipsa per nimiam intensionem consumat; tum contractilitas minus celeriter movetur, sed magnis jam viribus gaudens superior victoriam reportat.

§ 10. Hæc duo momenta tertium vitæ conservationi necessarium: *reproductionem* constituunt atque ex ea iterum gignuntur;[1]) a sensibilitate, a nervis autem hanc reproductionem præsertim dependere multa evincunt.[2]) Per nervos organa principium vitæ, agens imponderabile, accipiunt, et vegetatio sine nervis haud subsistere potest, nec efficacia vasorum incitata, nec affluxus humorum promotus. Vegetatio morbosa post impeditum aut minutum influxum nervorum in membris, imperfecta paralysi laborantibus; vis animi affectuum et pathematum in producta secretionis, uti lac, bilem, urinam,

1) Cfr. Schäffer l. c. P. 220. "Der Irritabilität und Sensibilität liegen die einfachen Principe von Contraction u. Expansion, von Erd- u. Lichtkraft zum Grund. Dem productiven System hingegen sind zweierley entgegengesetzte Principe Irritabilität und Sensibilität eingesenket, wodurch sich eine unverkennbare Analogie mit der Electricität offenbaret" (P. 43).

2) ibid. p. 11 et 40.

probat, quam necessarii nervi sint vitæ reproductivæ, [1]) cujus autem in eos influxus quoque manifestus est. Hinc enim affectus nervorum subiti, spasmi, convulsiones, alienationes sensuum, mania, delirium post evacuationes, uti menstrua, hæmorrhoides, repente repressas, post ulcera exsiccata, efflorescentias retrogressas; hinc critica hæmorrhagiarum et efflorescentiæ natura in morbis nervosis vehementiæ notabilis.

Hi tres vitæ modi, sibi prorsus oppositi, tamen invicem a se fluentes: *contractilitas, sensibilitas & reproductio* in diversa ætate autem diversi sunt et differenti vi gaudent.

Cum processus oxydationis symbolum contractionis, irritabilitatis, hydrogenatio autem expansionis, sensibilitatis sit, cum gradus contractilitatis a formatione et perfectione organorum pectoris dependeat, necesse est, ut contractilitas in ætate infantili infimam scalam occupet, et *sensibilitas* cum reproductione prævaleat. [2]) Hoc e natura rerum fluit; illa ætate, ubi omnia evolvuntur, nova systemata quotidie formantur et jam formata semper ad altiorem gradum tendunt, necessario magna reproductio

1) Vid. cæterum infra.

2) Cfr. Jäger l. c. p. 63.

requiritur, et cum illa cohærens major sensibilitas.[1]) Hanc ob rem multo majore cum universo consensu gaudet infans et ab eo dependet; hanc ob rem sæpius morbis afficitur, qui singularem, ab adultorum discrepantem characterem exprimunt; sic v c. inflammationes & convulsiones a prævalentia expansionis, sensibilitatis, et a debilitate contractionis, irritabilitatis, exorientes admodum ab inflammationibus et convulsionibus in adultis sese exserentibus differunt, quæ contrariæ relationi originem suam debent Quod irritabilitas infirmissima de more sit et esse debeat probant phænomena letifera ab irritabilitate insolita & abnormaliter in infantibus sese exserente. Sæpe enim neonati observantur,[2]) in quibus rubor cutis insolitus, præsertim genarum, respiratio solito celerior, pulsus relative plenior, magna mammarum cupido atque alacritas motuum notabilis conspicue produnt, quod venositas, primæ infantili ætati in statu normali propria, nimis mature repulsa sit. Tales brevi vivunt, convulsionibus corripiuntur et morti succumbunt; hæc rapida vitæ consumtio effectus esse videtur circulationis minoris nimis mature

1) Cfr. *Schäffer* l. c.

2) Cfr. *Nasse* in *Reils* Archiv für Physiol. 10ter Bd.

excultæ et per hanc productæ oxydationis sanguinis, ætati huic haud convenientis; illi motus involuntarii et mors ab irritabilitate morbose prævalente et paralysi sensibilitatis inde provocata producuntur; quam ob rem utilia reperta sunt remedia, quæ illam deprimere, hanc elevare valent, uti balnea calida &c.

Ubi autem infans increscit, organa pectoris evolvuntur, majorem oxydationem suscipit sanguis, eodem gradu irritabilitas procedit, et in media ætate æquilibrium pulchrum inter sensibilitatem st contractilitatem existit, morbi tum ab una vi prævalente aut succumbente foventur. In provectiore ætate, uti omnia in organismo magis ad oxydationem, rigiditatem vergunt et ab hydrogenatione, fluiditate declinant, diminuitur etiam sensibilitas; irritabilitas jam prævalet et reproductio, quamvis ad finem vitæ subsistit, non ea vi in sene gaudet ac in infante, quia præcipue suo stimulo, sensibilitate caret; morbi in senibus sic semper supereminentiam contractilitatis produnt, dum minus facile a potentiis mundi externis atque a contagiis et miasmatibus afficiuntur, sed facilius etiam morbis supervenientibus succumbunt. [1])

1) Vid. supra.

§. 11. E quibus omnibus, sic explicatis, igitur hæc deducuntur:

Sensibilitas per nervos pro magna parte causa morbi orientis est, morbis evolutionis forsan exceptis; morbus ipse jam novas mutationes, novasque proportiones in organismo producit, quam ob rem typus morbi in decursu modis innumeris mutari potest.

Contractilitas absolute debilitari potest per potentias nocentes, in eam agentes, et relative per sensibilitatem auctam; sensibilitas absolute augeri potest per incitamenta, eam afficientia et relative per contractilitatem deprimentia. Ex hoc bene patet, cur in morbis methodi medendi, non solum maxime differentes, verum etiam sæpe prorsus contrariæ, idem levamen producere et sanitatem restituere possint.

Per sensibilitatis augmentum quamvis contractilitas mobilior fit et facile afficitur, dum contractio, productum contractilitatis, facile tum exoritur, [1]) phænomena ejus sine vi et tenacitate sunt; per diminutionem sensibilitatis mobilitas quoque minor evadit, sed vis et intentio augentur, et sæpe ob prævalentiam suam sine potentiis externis etiam agit. Ita v. c. pol-

1) Vid. supra.

lutiones, incubus, crampi surarum mane accedentes, a contractilitate prævalente libera derivanda sunt, quæ in somno citius quam sensibilitas restituta est; quam ob rem quæ vespera antecedente sensibilitatem debilitarunt et infregerunt, uti crapula, multa pocula, convivia, coitus, ad illa phænomena disponunt, quæ tamen mox cessant, simul ac actione ipsa suam nimiam copiam consumserat.

Ex hoc diverso morborum charactere in diversis vitæ stadiis etiam regulæ diversæ in tractatione therapeutica fluunt, et medici est in curando aliquo morbo respicere, quis modus præsertim patiatur, sensibilitas an contractilitas; utrum hæc passio relativa an absoluta sit; utrum contractilitas peccet per absolutam ejus debilitatem an per sensibilitatem relative adauctam; utrum sensibilitas adaucta sit per potentias, eam excitantes, an per tales contractilitatem deprimentes, discrimine inter mobilitatem et energiam utriusque momenti bene observato. Tractatio symptomatica tali modo ad curativam sæpe mutatur, et noxa e remediis commendatis, temere et ad nullam conditionem respectu habito in omnibus similibus casibus adhibitis, optime elucet.[1])

1) Nonne v. c. glacies vel aqua frigida, quæ vulgariter in omni menorrhagia laudatur et adhibetur, sæpe ad-

Cum systemata per antithesin agant et igitur in morbo necessario alternent, cum ultimum stadium hanc ob rem admodum a primo differat, proportione opposita sæpe præsente, bene perspicitur, quod illud remedium, quod initio morbi conveniat, sæpe postea haud indicetur et vice versa. Attentio medici practici quoad hanc rem igitur magno gradu requiritur.

Hinc sententiæ diversissimæ sibi ipsæ maxime contradicentes de actione remediorum et difficultates maximæ eam determinandi; cum a dosi, ab intervallis, in quibus porriguntur, a proportione normali vel abnormali systematum dependeat, quæ phænomena exserant; utrum citius an lentius aliud systema in consensum trahant, quare sæpe in nonnullis effectus a solitis maxime differentes producunt.

Quando igitur contractilitas adaucta turbas in corpore excitat, remedia, quæ eam deprimere valent, indicantur, quæ aut talia sunt, quæ eam absolute diminuant, aut sensibilitatem augeant. Quando sensibilitas aucta, abnormaliter distributa, fons symptomatum morbosorum est, medicamenta in usum trahenda sunt, quæ pro rerum ratione sensibilitatem deprimunt vel con-

modum nocere valet, cum diversa causa, vel contractilitas vel sensibilitas absoluta in culpa esse possit?

tractilitatem augent, id quod a passione primaria dependet.

§. 12. Ut venena contractilitatis putanda sunt acidum hydrotionicum, gas nitrosum, arsenicum, contagium typhi et pestis, venenum viperarum &c. [1])

Ad venena *sensibilitatis*, quorum sequelæ sunt spasmi vehementes, magis tonici cum paralysi alternantes, insensilitas, torpor sensuum et mentis, ab auctoribus numerantur frigus, opium, belladonna, hyoscyamus, stramonium et cætera narcotica, digitalis, scilla, colchicum, ipecacuanha, tartarus emeticus, præparata plumbi etc. [2])

Huc censemus trahendum esse Hydrargyrum, illud metallum, quod tanto gradu reproductionem, quam sensibilitas præsertim regit, compescit. Non sola conjectura, rationum experte, hæc nostra sententia nititur; deducta est e symptomatibus, quæ metallum producit, e fructibus, quos offert, e similitudine cum cæteris sensibi-

1) Vid. *Jäger* l. c. qui dicit, forsan ad hanc classem numerari posse bilem animalem, cujus effusio in cavo abdominis tam letalis sit et in quam acida et adstringentia juvent.

2) ibid., addit ille: pluraque metalla, facile oxygenium attrahentia

litatis veneris.[1]) Nostrum est hanc opinionem firmandi causa omnia afferre, quæ et in genere et in specie, theoretice et practice, huic inserviant scopo.

Nostram assertionem probare videntur symptomata similia, usum narcoticorum et mercurii insequentia, quæ sanguinem solutum hydrogenioque scatentem, majorem ejus venositatem et approximationem ad qualitates bilis majorem, depressionem omnium functionum, præsertim vero sensibilitatis exhibent; num illos effectus hæc remedia hydrogenio in iis contento habeant, quod quoad illa dicit *Sprengel*,[2]) quoad metallum *L. Vogel*,[3]) difficulter quidem discerni potest. Firmatur porro nostra sententia consensu hydrargyri in effectibus et qualitatibus cum plumbo, quod ut sensibilitatem deprimens assumtum est. Jam maturius convenientia hæc inter mercurium et plumbum observata est et

1) *Jäger* e contrario hydrargyrum venenum contractilitatis habet, initio sensibilitatem incitans, postea autem statum quasi scorbuticum producens. Sed ut taceamus, cl. auctorem verbo "videtur" uti, haud opus est, ut positive ejus opinionem refutemus cum negative per argumenta pro contraria diruatur.

2) Institut med. T. I. p. 22.

3) Heilk. der vener. Krht. 1317 P. 231 seqq.

Wallerius [1]) maxime hanc docet propter "colorem in plumbo et mercurio fusis fere æqualem, ob gravitatem specificam utriusque parum differentem, ob qualitatem se facile et intime cum oleis combinandi, ex eo quod utraque in igne in flammam abeant, easdem mutationes in acidis mineralibus mercurius quoad colores experiatur, quas ignis in plumbo producat, quod inepta sint ad calcinationem completam et perfectam, et denique quod facilis sit transmutatio unius ex his metallis in alterum." Symptomata morbosa, quæ plumbum producit, etiam haud multum ab hydrargyri discedunt; excitant enim utraque cardialgiam, colicam, vomitum, dolores et tremores artuum, tristitiam, dolores capitis graves, stupores systematis nervosi, rigiditatem articulorum, dyspnoeam, faciem pallidam, dyspepsiam, symptomata nervosa, spasmos, convulsiones, insensilitatem, inquietudinem; [2]) utraque per diuturnum usum languorem universalem, paralysin, emaciationem secum ferunt æque inimica organismo; et in utro-

1) Systema mineralogiæ 1775.

2) Cfr. supra et *Ramazzini* von den Krkhtn der Künstler u. Handwerker, bearb. von *Ackermann* 1783, 2ter Theil P. 86. seqq.

rumque turbas suadentur oleosa, pinguia, sulphurata [1])

§. 13. Nostram hanc sententiam de mercurii vi in nervos & sensibilitatem plures veteres & recentiores conjectasse videntur, sed plerique vel aliter nihilominus actionem ejus declararunt vel conjecturam, nihil huic superstruentes, false propositam haud tuiti sunt. Sic e. g. *Falk* [2]) mercurium partem alcalescentem sanguinis, sensibilitatem exaltantem, vasaque irritantem excipere, *Green* [3]) se eum mixtionem nervorum mutare suspicari dicit, et plurimi omnia illa symptomata, quæ a sensibilitate depressa derivanda sunt, usum metalli insequi confitentur. Nemo propius ad nostram sententiam accessisse videtur quam *Ramazzini*, qui altero loco dicit, [4]) mercurium tollere dolores qualescunque et motum sanguinis sedare, addens, forsan in illo vim febrifugam, nobis absconditam jacere; altero [5]) nocivas vaporum mercurialium vires e qualitate metalli magno gradu nervos et efficaciam partium solidarum debilitandi derivat, quam ob

1) Cfr. ibid.

2) l. c. p. 34.

3) Pharmacologie 2ter Th. P. 217.

4) l. c. p. 146.

5) l. c. p. 148.

rem in illos effectus morbosos talia commendat, quæ efficaciam nervorum augere, massam sanguinis movere, sudorem promovere, partibusque solidis vires amissas restituere valeant, scilicet spirituosa, cardiaca, sulphurata, frictionem, electricitatem &c. His corrector operis, *Ackermann* in notis plures observationes addit, ad illam sententiam pertinentes, non mirum esse quod hydrargyrum nullam febrem veram excitet, cum ad febrem necessario requiratur vis nervorum et solidorum, sine qua nulla febris exoriri possit, hydrargyrum autem sit remedium ad efficaciam nervorum et tonicam solidorum vim domandam præstantissimum.

§. 14. Mirum sane videtur, quod illi viri, quamvis illam vim hydrargyri in nervos cognoscentes et observantes, haud plura ex suis annotationibus traxerint, nec actionem metalli ex hac veritate progredientes declarare studuerunt. His autem temporibus systema nervosum tenebris densioribus obvolutum erat ac nunc ob seriores disquisitiones nisus et physiologorum; quamquam fatendum ingenue est, adhuc multa in eo illustrando deesse semperque defore; nec illi vim nervorum in reproductionem et producta organica consideraverunt, quo pateat, necesse est, illis de vi metalli in nervos

licet intellectis, æque obscurum eis fieri modum probabilem medendi mercurii.

Maximus autem influxus est nervorum, sensibilitatis, in reproductivitatem. Uti in genere in nervis præsertim hærere credendum est vim vitalem, dum in illis imponderabile illud, galvanico admodum simile, præsertim sedem habet, per illos sine dubio effectus suos mirificos exserens, ita sensibilitatem esse, quæ reproductionem regat, non dubium est. In animalibus enim perfectioribus, præsertim homine, majore sensibilitate præditis, utraque sibi proportionata in eadem scala est, ita ut cum sensibilitate exaltata etiam energia reproductionis emineat et vice versa. Sic foecunditatem et reproductivitatem majore gradu possident incolæ regionum calidarum sensibiliores quam borealium, formatione seminis & menstruatione citius et largius in illis quam in his accidentibus, et morbis reproductionis debilitatæ in frigidis terris difficilioribus curatu.

In juventute utræque vires maximam scalam occupant, in senectute utræque decrescunt; in hybernantibus ante somnum reproductio per actum generationis consumitur et mox omnia sensibilitatis phænomena simulcum reproductionis evanescunt, cum calore veris autem, sensibilita-

tem exaltante, et accumulatione hujus per quietem functio producendi et nutritio vivificantur [1]). Membra per morbos nervorum, circulatione sanguinis illæsa, contabescunt, et ob hanc influxus sensibilitatis cessationem tabes senilis exoritur, quam citius provocat omnis maturior sensibilitatis consumtio, uti animi pathemata, studia, amor immodicus &c.

A sensibilitate in genere et organorum horum in specie dependet digestio, unum reproductionis momentum, cum nervo vago persciso digestio prorsus deleatur, durante motu ventriculi; cum nimia intentio cerebri vel alia sensibilitatis ad alia organa determinatio digestionem lædat. In omnibus morbis porro ubi sensibilitas peccat, producta abnormalia constituuntur, illa minuta reproductio succumbit, supra normam aucta, hæc in partibus organismo sano alienis generandis morbosa reperitur; organa, quæ functiones reproductionis perficiunt, magis ad polum sensibilitatis, negativum, hydrogenii pertinent et non solum in periodis evolutionis diversis majorem gradum perfectionis et incrementi attingunt, uti hepar & glandulæ apud foetus et neonatos, verum etiam pluribus nervis

1) Cfr. *Jäger* l. c. p. 256.

ac alia organa prædita sunt, quo trahenda sunt vasa capillaria, partes glandulosæ, systema lymphaticum cæteraque reproductioni inservientia organa; viscera abdominalia negotium illud obeuntia simulcum vasis sanguinem obscurum, desoxydatum, expansioni approximantem continent; in intestinis gasa analoga secernuntur et bilis in hepate hydrogenio et carbonico abundat[1]); morbi in his visceribus dolores atrocissimos excitant, molestiis pectoris, sedis præsertim irritabilitatis, non ita dolentibus; rami arteriarum, quo magis a centro et truncis dimoti, eo majore copia nervorum gaudent[2]); periosteum, quod sanguinem auctore *Renard* ad nutritionem ossium præparans nervis abundat, in infantibus hanc ob rem crassius, in adultis tenue est, et, si separatur, ossa demoriuntur[3]). Sensibilitati in vasis minoribus, productioni consecratis, prævalenti[4]) et vitalitati hic exaltatæ vis adscribenda

1) Cfr. *Schäffer* l. c. pag. 40-43.

2) Vid. ibid.

3) *Schäffer* (p. 217) hoc argumentum ut sententiam, reproductionem maxime a sensibilitate dependere, maxime corroborans habet.

4) Quantitatem magnam nervorum in vasis minimis eorumque exinde fluentem vitalitatem eximiam rubescentia genarum, tumescentia partium in animi pathematibus et influxus eis inimicus frigoris, unde con-

est affectuum animi humores productos, uti salivam, lac, bilem etc. sæpe uno momento depravandi, eosque a fluidis mitissimis ad miasmata maxime nociva mutandi; forsitan per sensibilitatem in gravidis ob animi pathemata alienatam producta vitiosa in foetu gignuntur atque ei forsan monstrositates originem debent; in ætate pubertatis, ubi sensibilitas maxima est, etiam reproductio maxime viget, atque in universo organismo cum vi generandi, sensibilitate, decrescente minuitur; efficacia caloris æque gravis et salutaris est in sensibilitatem ac in functiones generationis, uti vis nociva frigoris in utraque; phænomena pubertatis retardata observantur in phlegmaticis, minore sensibilitate præditis, et medicamenta denique, quæ sensibilitatem deprimunt, uti opium et cætera narcotica, etiam reproductionem debilitant[1]).

strictio vasorum capillarium, irritabilitas prævalens, pallor et insensilitas, probant. Hanc ob rem fomenta frigida mox initio locis contusis imposita tam efficacia sunt, quibus, sensibilitate in vasis tam nervosis depressa, et irritabilitate minore excitata, processus morbosus progrediens avertatur.

1) *Luccæ* (in Meckels Archiv für Physiologie 3ter Bd.) idem exprimere videtur his verbis: "An die bildende Seite des reproductiven Lebens schliesst sich die expansive Seite des Bewegungslebens".

§. 15. At quemadmodum nervi sunt, qui reproductionem gubernant, sic media, quibus nova in corpore deponuntur amissaque restaurantur, *arteriæ*, præsertim earum rami, sunt. Illæ ad omnes partes sanguinem vehunt, e cujus lympha plastica oxydata omnia organica pro qualitate loci formantur [1]), ita ut sanguis in nervis substantiam nervosam, in musculis musculosam, in vasis vasculosam augeat, et quodque organon e globulis sanguinis vitalitate propria suam formam exprimere videatur; omnesque formæ, omnesque partes, maxime a se differentes, ex eodem sanguine, principium omnium systematum in se continente, construantur. Quo nutritio perficitur, principium auctore *Prochasca* vapor est, quem sanguis arteriosus per parietes vasorum transudat, et *Zimmermann* [2]) dicit, circulationem esse, quæ non solum organismi sphæræ, verum etiam minimæ hujus parti massam reproductionis tribuat, quæ organis principia, secretione et excretione ablata, restituat.

1) Quod hæc materia nutriens majore copia arterioso quam venoso sanguini insit vid. *Meyer* in Meckels Archiv 3ter Bd.

2) In *Reils* Archiv für Phys. 11ter Bd.

Nervi igitur sic efficaciam arteriarum determinant, et quæ ab iis deponuntur, modificant [1]) Ob hunc influxum nervorum arteriæ temporibus differentibus diversam sanguinis affluentis copiam admittunt; turgescentia penis et inhibitiones secretionum in certis animi pathematibus ab hoc nervorum in arterias influxu declarantur, uti etiam fluxus celerior sanguinis per vasa minora ad membrum, cujus arteria principalis subligata est [2]).

Sic quoad reproductionem, quemadmodum in universa natura polaritas, oppositio observatur, hæc perfectissime in corporibus organicis sexu masculino et foeminino sese exserit, in individuo ipso hæc systemate nervorum et sanguinis expressa observatur, quorum illud auctore *Meckel* vegetationi individui idem est ac partes generationis masculinæ conservationi speciei, hoc functiones perficit partium generationis foemininæ: speciem formandi et nutriendi [3]), ita ut systema nervorum qualitativum reproductionis, systema sanguinis magis quantitativum

1) Vid. quoad experimenta hanc rem affirmantia *Home* in phil. transact. 1814 aut in Meckels Archiv 3ter Bd.

2) Vib. ibid.

3) Vid. *Mechel* in Reils Archiv 11ter Th. Pag. 263.

constituere videatur [1]), alteroque alienato vel turbato turbetur et alienetur etiam alterum. Cum autem quantitativum admodum quoque a nervis, sensibilitate, dependere viderimus, reproductione igitur morbo laborante, systema nervorum præsertim in censum venit, a quo propter influxum ejus in arterias prævalentem incrementum, restauratio partium et exordium plurium tumorum dependent [2]), a quo in sanguinem medicus agere et sic vitia illius functionis corrigere potest. Quamvis reproductio, ut functio per se subsistens, in sensibilitatem reagere potest, eam et demum quoque contractilitatem in consensum trahit; quamvis *hydrargyri* effectus sæpe manifestiores sunt in reproductivitatem, atque ea sic primitive affici videri posset, multa tamen eius actionem præsertim in sensibilitatem atque per eam in reproductionem probant, quæ postea uberius explicabuntur.

§. 16. *In genere igitur sic hydrargyri actionem fieri censemus:*

Deprimit et minuit sensibilitatem, quo facto reproductio, quæ maxime ab ea dependet,

1) Cfr. *Jäger* l. c. pag. 226 et seqq.

2) Vid. ***Home*** l. c. in Meckels Archiv 3ter B. Pag. 141.

quoque compescitur et quidem notabili gradu, qui etiam adhuc magis augetur, si postea contractilitas, quæ initio ob polaritatem necessario per depressionem sensibilitatis viribus increscit, quoque in consensum trahitur [1]); id quod sæpe cito per vim tantam metalli sensibilitatem domandi accidit. Reproductione sic debilitata, circulatio sanguinis, sine dubio etiam ob sensibilitatis in vasis diminutionem, cum secretionibus et depositionibus a sanguine, lentescit. Arteriæ sunt, quæ hocce nutritionis et cujusque reproductionis medium vehunt, quibus vasis igitur debilitatis et quoad vim functiones suas perficiendi labefactatis, vasa revehentia, absorbentia propter antithesin, quæ inter illa et hæc adest, necessario in agendo incitantur [2]), quo producta

1) Cfr. *L. Vogel* l. c. pag 234 "das Quicksilber schwächt die Cordialkraft oder die Wirksamkeit des Arteriensystems, nicht allein wird bey Mercurialgebrauch der Puls bald kleiner und schwächer, sondern es verschwindet auch die Röthe der Haut, rc.

2) Cfr. inter plures *Schäffer* l. c. pag. 9 "es ist ein vollkommener Gegensatz zwischen Arterien und den einsäugenden Gefässen, was die einen incitirt wird die andern deprimiren." Sic quoque *Müller* l. c. contraria via ad eandem summam veniens metallum illud eminenter in systema lymphaticum agere, quo derivatio a systemate sanguinis fiat, dicit; uti *Most* (in Hufelands Journal 8ter Bd.) censet, mercurio irritabilitatem vasorum lymphaticorum augeri, quo incitata arteriarum vis minuatur,

morbosa, ut tumores, nodi &. diminuuntur et evanescunt, dum sensibilitatem et reactionem incitatam in antecessum compescuit metallum.

III.

Declaratio phænomenorum, quæ ab adhibito hydrargyro derivantur et reconciliatio principalium de actione ejus habitarum opinionum.

§. 17. His in universum præmissis ad phænomena e porrecto mercurio declaranda et plura argumenta nostræ sententiæ adstipulantia afferenda transimus:

Symptomata omnia illa, quæ defensores incitantis hydrargyri vis ut incitationem indicantia afferunt, partim e præparatione, conjunctione metalli cum oxygenio vel acido irritante derivanda[1]), partim serius sæpe, haud semper, evenientia, uti febris species, pulsus celerior, ut-

et fibra sanguinis jam exhalata a vasis lymphaticis resorbeatur. — Ulcera insanabilia, substantiam destruentia et sine regeneratione increscentia indicant magnam reproductionis debilitatem, sed etiam, quomodo eadem causa, quæ reproductionem tollat, simul absorptionem augeat (vid. *Jäger* l. c. pag. 295).

1) Vid. supra et partic. imam §. 32 & 33.

plurimum autem *contractus*, calor et respiratio aucta, a contratilitate, ob sensibilitatem depressam supereminente, declaranda sunt Crusta phlogistica, quæ apud eos, qui mercurialibus utuntur, sæpe observatur, haud nobis mira esse debet; nam partim natura morborum, in quibus rite adhibetur hydrargyrum, hoc secum fert, partim hæc crusta nostram sententiam corroborat, cum arteriæ debilitatæ, quæ impediuntur quo minus illam materiam plasticam deponere possint, hanc retineant, donec vel solvi vel alio modo eliminari possit, et sic illa per venæsectionem necessario apparere debeat.

Quoad excretiones illas auctas sæpe supervenientes, uti diuresin, diarrhoeam, sudorem, vomitum etc., quas etiam asseclæ incitationis hydrargyri pro se applicare student, bene discernendæ sunt illæ excretiones a fortioribus, vehementioribus præparatis hydrargyri, et eæ, quæ magis vel minus sero a medicamentis mercurialibus minore vi afficientibus provocantur. Illæ mox initio porrectionem illorum fortiorum propter vim vere irritantem [1]) insequuntur; hæ, quæ a mitioribus præparatis augentur, non illam vim manifesto incitantem possidentibus, aliam

1) Vid. supra.

et quidem oppositam causam habere videntur. Quod haud incitationis meræ sequelæ sunt, uti illæ, quæ sublimato corrosivo vel præcipitato rubro vel sæpe quoque irritamentis mechanicis excitantur, ex intervallo minore vel majore, semper autem longiore, inter ingestionem præparati et excretionem; atque, si serius accidunt, ex quantitate evacuatorum contenta omnium intestinorum et ventriculi superante; et e retardatione pulsus contemporanea [1]) conspicitur. Excretiones, quæ paulo post mitius præparatum auctæ superveniunt, considerandæ sunt ut effectus contractilitatis per polaritatem auctæ et sic contenta vasorum et cavorum expellentis; quæ autem serius, postquam per nonnullum tempus sub mitiore forma adhibitus est mercurius, sæpe accidunt, a vi metalli propria fluunt. Nonnisi enim vel certa dispositio in ægroto adest, qua citius et gravius ac alii medicamentis afficitur, vel nimia copia ingestus est mercurius, illi effectus sequuntur, qui solummodo indicant, sensibilitatem hunc in gradum depressam esse, ut etiam vasa absorbentia affecta sint, quorum sensibilitate exstincta necesse est, ut fluida accumulentur, irritent, contractilitatem, jam etiam

1) Cfr. *Jäger* l. c. de nauseosis ita loquentem.

per se auctam, adhuc magis stimulent [1]), et per vomitum, alvi fluxum largum, sudorem, vel diuresin evacuentur; quæ sententia etiam magis firmatur observatione, illas excretiones per alvum sæpius mucosas esse. Non mirum, quod in talibus casibus sæpe nullas virtutes salutares exserat hydrargyrum, cum effectus sic justo majorem gradum assecuti et magis extensi sint ac poposcerit indicatio vel voluerit medicus; et non mirum, quod in iisdem sæpe noceat mercurius in morbis, ubi vasa absorbentia, quæ alias justa quantitate remedii in actione augeantur, incitanda sint.

Sic quoque sine dubio *salivatio* provenit, quæ quidem etiam monstrat, sensibilitatem in vasis absorbentibus exstinctam vel minutam esse. Hæc vasa enim ob illam efficientiam in arteriis depressam solito majorem fluidorum copiam absorbent, atque etiam in glandulas salivales deferunt, ubi, cum nunc vasa efferentia quasi paralysi ob usum mercurii continuatum corripipiantur, fluida stagnant, (unde gingiva et lingua tumida, facile sanguinem fundentes), irritant, dolorem excitant et fluxum continuum salivæ demum producunt. Hanc opinionem probat

1) Cfr. *Jäger* l. c. §. 27.

observatio, quod hic effluxus salivæ non contingat, nisi post aliquod tempus, vel citius sub certa ægroti constitutione, nec, quando præparata fortiora, igitur magis a propria mercurii qualitate abhorrentia, uti e. g. præcipitatus ruber, adhibentur [1]). Huic favent verba *Hegewisch* [2]), salivationem in limite esse, ubi mercurii qualitates victoriam reportent, et haud solum normalem productionem revocent, sed organismum, transitum producendo ad morbum mercurialem, similitudinem cum scorbuto, reproductione in utroque affecta, habentem, vincere incipiant; cum his consentire videtur *Jäger* [3]) dicens, sialagoga aut esse, quæ efficaciam vasorum absorbentium minuant, aut quæ dispositionem in massa humorum ad excretiones aquosas producant [4]), salivationemque a mercurio per directionem sensibilitatis mutatam provocari [5]). Ptyalismus porro, quem masticatoria excitant, ab eo per mercurium admodum differt; affluxus modo brevi durat et, incitatione

1) Vid. nostr. experientissimum *Wendt* in Acta nova societ. med. Havn Vol. 1 pag. 284.

2) l. c. pag. 102.

3) l. c.

4) Vid. mox infra.

5) l. c. p. 519.

diu protracta, partes inflammantur, dum ulcera et exulceratio in ore salivantium a mercurio non incitationis characterem habent, cum color et dolores argumenta solummodo sint accumulationis & stagnationis humorum, originem a vi vasorum debilitata habentium [1]), id quod etiam odor cadaverosus maxime indicat. Hanc ob rem medicus salivationem omnia, quæ sensibilitatem deprimunt, uti frigus, avertendo, omniaque, quæ illam elevant, uti calorem, suadendo, impedire tentat. Verum sic quidem est illud auctorum effatum, salivationem sequelam necessariam et signum esse mercurii in vasis præsentis; et ita forsan decerni potest illud certamen de noxa vel commodo salivationis, dum quidem in his morbis solummodo nocere videtur, in quibus vasorum absorbentium incitatio indicatur atque resolutio tumorum producenda est, et in aliis morbis haud damnum infert vel etiam utilis est, certe ostendendo, jam copiam sufficientem metalli esse porrectam. Quod utplurimum mercurius suam copiam, corpori immissam, salivatione ostendit et quod hæc excretio præsertim notabiliter augetur, ob magnam partium glandulosarum copiam in cavitate oris fit, ob laxio-

1) Cfr. *Falk* l. c. pag. 35 & 36.

rem earum præ aliis compagem et forsitan, si conjecturas longius protrahere licet, propter hydrogenium a metallo cum corpore communicatum[1]. Odor enim salivæ in talibus ægrotis gas hydrogenium phosphoratum prodit, magna aquæ copia salivam constituit; venositatem sanguinis producit mercurius; laxantia salivationem, hydrogenium abundans evacuando, impediunt; herbivora, larga copia oxygenii ad hydrogenium superfluum ligandum gaudentia, nec exulceratione oris nec salivatione afficiuntur; obesi et leucophlegmatici citius et gravius salivatione afficiuntur; constitutiones macilentæ, exiles, siccæ, cum hydrogenii minus habeant, melius hydrargyrum ferunt; fæminæ adultæ, quarum hydrogenatio præ virorum iam fortis, et systema respirationis et arteriarum tam parvum est, mox minima dosi vestigia salivationis percipiunt[2].

Ardor oris et sitis gravis post ingestum mercurium indicant actionem vasorum absor-

1) Vid. supra. Plures auctores (vid. infra) hanc sententiam habent, cfr. præsertim *L. Vogel* l. c. p. 232 et seqq. Dicit, omnia spta eo citius accedere, quo major copia hydrogenii insit, atque ubi principium hydrogenium deficiat vel minutum sit, usum mercurii plane securum esse. Mercurium principium terreum, destruens "Hydrogas, Mercurgas" nominat.

2) Cfr. *Jäger* l. c. p. 189. Vid. quoque *Falk* l. c.

bentium auctam; horrores frequentes, dolores singulares capitis, vertigo, e mutatione in sensibilitate provocata oriuntur.

Languor, paralysis, emaciatio cæteraque symptomata nervosa et debilitatis in iis, qui mercurialia et præsertim largiore copia adhibuerunt, ex actione hydrargyri modo haud obscuro profluunt, quoniam omnes hi effectus reproductionem maxime debilitatam, inopiam principiorum depositionis, assimilationem in genere prohibitam, et sensibilitatem admodum depressam ostendunt. [1]) Hanc ob rem post curam per mercurium conveniunt roborantia et nutrientia, uti in iis, qui etiam in morbum mercurialem, hydrargyrosin, cujus omnia symptomata exprimunt characterem astheniæ, incidunt, roborantia incitantibus juncta. Inter illa remedia ferrum primum locum occupat, quod qualitates mercurii contrarias, scilicet reproductionem exaltandi atque roborandi, habet.

1) *Falk* l. c. p. 24 paralysin simulcum salivatione ita exponit, quod, mercurio sub forma fumigationum in vapores redacto, altera pars liquefacta corpus intret, resolvat et ptyalismum producat, altera ad speciem scoriæ mutata etiam corpori immittatur, haud autem resolvatur, in vasis hæreat et paralysin provocet.

Somnolentiam, quam sæpe atque etiam frictione affert mercurius [1]) e depressa sensibilitate, cujus remissioni omnis somnus originem suam debet, derivandam esse per se patet.

Quod tumores præsentes usu metalli evanescunt, sequitur ex actione vasorum absorbentium incitata, dum nil novi quoque ab arteriis, quoad vim fractis, deponitur.

Bene sic intelligitur, cur impediant hydrargyri applicationem debilitas corporis, gradus major phthiseos, constitutio cachectica, scorbutica, chlorotica, nisus ad excretiones profusas et liquationem præsens, cum omnes hi status sensibilitati vel reproductivitati labefactatæ originem debeant, sequelæ sæpe sint adhibiti hydrargyri, et igitur omnes ejus porrectione augerentur.

Hydrargyrum, quo ita abusi sunt ægroti, ut in ossibus aliisve cavis postea observetur, etiam multa morbosa phænomena producere videtur per pressionem suam mechanicam, circulationem impedientem, et functionibus normalibus obsistentem.

Exinde declarantur illæ laudes mercurii, quod fere in omnibus morbis cum fructu bono

1) Vid. nova acta physica medic. cæsarea etc. T. 1.

in usum trahi possit, ita ut *Falk*[1]) dicat, nullum temperamentum, nullam constitutionem, nullum sexum, nullamque vitæ periodum dari, in quibus haud mercurius sub certis conditionibus salutaris esse possit, nec ullum morbum, in quo plane nocivus et inutilis putandus sit; et *Walther*[2]) contendat, modo in chlorosi et scorbuto dissuadendum esse hydrargyrum. Forsan autem hoc restringendum est ad initium morborum, cum in omnibus molestiis incipientibus sensibilitas exaltata sit, vel maxime causa fuerit morbi, vel malum sustineat reactionem organismi incitando; [3]) hac minuta minuitur igitur quoque vis morbi; mercurius sic agens tantis laudibus hanc ob rem ad coelum sublatus est.

Nostræ sententiæ propositæ convenit quoque diæta, quæ ægrotis, mercurium adhibentibus, præscribitur, et quam minime opinioni in-

1) l. c. p. 48.

2) l. c.

3) Quisque morbus (vid. *Sprengel* instit. medic. T. III. § 17) pugna est inter potentias externas et efficientiam vitalem, etiam in morbis chronicis talis existit. Hæc reactio quidem nisus est naturæ potentiam nocivam avertendi, sed hæc nimis fortis esse potest, et "nimis intenta efficientia salubrem statum in periculosum mutat" (vid. *Sprengel* l. c. §. 6) cfr. quoque Hufelands Pathogenie 1795.

citationis consentire annotavimus. [1]) Nec carnes, nec spirituosa, nec incitantia cujuscunque generis conceduntur, ne actio medicamenti perturbetur effectusque retardentur; quo plura incitamenta enim adsunt, eo plures hostes, qui vincendi sunt; magnum adversarium jam habet, ut vidimus, metallum in corpore, cui junctum est, quod quidem id magis idoneum ad solutionem reddit, sed tamen ejus actioni repugnat, quam ob rem sub cura mercuriale etiam acida vetanda sunt. [2])

Exinde quoque sequitur, quod, quo magis incitatus sit organismus, quo major sit orgasmus sanguinis et vis nervorum, eo longius tempus requiratur, ut mercurius suos effectus proprios exserere possit, cum in talibus casibus majore nisu pluribusque viribus opus habeat ad sensibilitatem reproductivitatemque compescendam.

Diæta restricta hanc ob rem tantos fructus habet vel cum ingestione simultanea mercurii conjuncta vel ei præmissa, quia etiam reproductivitatem domat et vasa absorbentia stimulat, dum eam sensibilitatem, quæ fame excitatur, ejusque causa est, quoque mercurius deprimit,

1) Vid. particul. 1mam.

2) Vid. *Sprengel* l. c. T. V. §. 517.

ut, quamquam parva modo copia ciborum ingeratur, nihilominus anorexia accusetur, quæ igitur bene declarabilis sequela sit adhibiti hydrargyri.

Sic manifestatur utilitas, quam methodus secum sæpe fert, opium cum mercurio simul porrigendi. Empirice uniuntur hæc remedia, medicis rationes hujus curæ haud sat considerantibus. Vim laxantem mercurii quidem etiam impedire potest opium; nonne autem æque venenum sensibilitatis est, nonne igitur quoque qualitate gaudet ac secundum nos hydrargyrus? [1]) Num tum miri effectus esse debent, quos conjuncta hæc remedia producunt? In quibus autem, quamquam in ea virtute consentientia, a se differant, haud ad nos pertinet examinare; annotandum autem est, cum sæpe et quidem magno gradu incitare videatur opium, non semper id indicari et minus necessarium evadere; rectius ita forsan, ut memini me alicubi legere, esset magnam vel solito majorem dosin opii præparato mercuriali ad effectus augendos addere. Moschus, qui sæpe quoque bene cum hydrargyro in usum trahitur, alio modo agere videtur, dum

1) Conjunguntur, dicit *Widemann*, quia opium vi dolores sedante præditum est, et auctore *Frankenfeldt*, opium in omni dolore a debilitate convenit.

haud sensibilitatem illum deprimere, sed eam modo plurium incitantium et valerianæ, asæ foeditæ etc. diffundere credimus,[1]) et ita forsan præsertim indicatur, quando sensibilitas, in certo loco accumulata, per derivationem ab aliis partibus symptomata morbosa producit.

Quod vis, utilitas et effectus mercurii per simultaneum usum martialium, camphoræ, sulphuris [2]) minuuntur vel delentur, in nostra sententia rationes suas invenit, quoniam virtutes horum medicaminum prorsus oppositæ sunt hydrargyri, quam ob rem quoque in symptomata morbosa, abusu mercurii provocata, ut antispecifica in usum trahuntur. Si nobis objicitur, sulphur cum mercurio sæpe, præsertim in efflorescentiis omnium generum, optimum remedium esse, tunc quidem hoc dependet a specifica sulphuris virtute in cutem agendi, dum eodem tempore hydrargyrum, quamquam ob illam ra-

1) Cfr. *Jäger* l. c.

2) Vid. partic. 1mam pag. 95; cfr. porro *Walther* l. c. p. 263, ubi dicit, mercurium prorsus oppositum esse marti, nocere, ubi hic prosit, effectus in sanguine contrarios habere, illum hydrogenium, hunc oxygenium corpore communicare. — Sulphur forsan non solum ob vim incitantem contra effectus metalli agit, sed etiam ob maximam ad hydrogenium affinitatem (vid. *Jäger* l. c.)

tionem lente, reproductionem morbosam vel alias causas præsentes corrigit.

Absque ulla noxa mercurialia infantibus præscribi possunt; maximam dosin ingerere possunt, [1]) antequam salivatio cæterique effectus sequuntur; sic *Marcus* e. g. narrat, se infantes vidisse, qui intra 48 horas gr. ducenta quadraginta merc. dulc. ingesserint. [2]) Hoc singulare nobis videretur, quod infantes, quibus semper minor dosis medicamentorum ac adultis porrigi debet et solet, quos multis remediis alias efficacissimis vetare solent medici, quod illi modo exceptionem in hydrargyro faciant, hoc non modo secure eadem dosi ac seniores capiant, sed etiam majori dosi opus habeant, si non oculo physiologico organismum infantum, ab adultorum diversum, cum actione mercurii, a nobis explicata, comparemus. Observamus tum, inter illos tres modos in ætate infantili reproductionem prævalere, quo propior partui infans sit; vita apud neonatos solummodo formatione et depositione substantiæ organicæ sese exserere

1) Vid. *Hegerwisch* l. c. *Hecker* in Hufel. Journ. (26ter Bd. 4tes St.)

2) Vid. Ehrhardts med. chirurg. Zeitung 2ter Bd. No. 27. et nuper *Osann* in Hufelands Journal d. p. H. Jan. 1819. P. 102.

videtur, sensibilitate et irritabilitate vix sese manifestantibus. Quod illa majore gradu ac contractilitas tamen adsit, ex his, quæ supra dicta sunt, concludendum est, sed forsitan præsertim suam vim reproductioni adjuvandæ applicat. [1]) Hanc ob rem plurimi infantum morbi reproductioni nimis eminenti originem debent et omnes fere notam hujus incitationis nimiæ habent, [2]) quam non solum quantitate, uti vomitu, diarrhoea, colica, sed etiam qualitate morbosa, nisu ad plasticitatem prominente, uti inflammationibus, efflorescentiis, indicant. Hanc ob rem, dicit *Formey* [3]), in morbis infantum methodum debilitantem adhibendam esse. Quæ cum ita sint, nonne igitur mercurius optimum remedium putandus est, id quod etiam experientia testatur? [4]) Num doses illius maximæ porrectæ

1) Vid. *Sprengel* l. c. T. I § 100 P. 285, et Henke in Horns Archiv für medic. Erfahrung 1816 4ter H. Hanc ob rem inflammationes infantum decursum citiorem habent. (vid. *Schäffer* in Hufel. Journ. 52ter Bd. 5tes St.

2) Vid. *Henke* l. c.

3) Vid. Heckers Annalen 2ter Bd. 5ter H.

4) Cfr. inter plures *Heinecken* (Klinische Bemerkung. in Allgem. medic. Annalen 1811, 2ter Abth. P. 322) qui dicit, se in plurimis ætatis infantilis molestiis nullum remedium tutius meliusve cognoscere; et rationem quærit in systemate lymphatico, quod dicit in infantibus tam efficax esse et esse debere in hac ætate, ubi natura præsertim functionibus assimilationis et re-

singulares esse debent scientibus, illum esse medium, quod forsan maxime omnium reproductionem domet et compescat?

Ob eandem vim senibus, opposita conditione organismi, parva reproductione, parvaque sensibilitate gaudentibus, damnosum et nocivum repertum est hydrargyrum, apud quos facile reliquias illius functionis, quæ vitam debilem adhuc sustentat, exstinguere potest.

Hanc ob rem gravidis etiam mercurius minus bonus, quin nocivus esse videtur. Contradictio quidem occurrere potest, quod reproductio in iis major sit quam alias, quod quidem quoque crusta phlogistica in sanguine earum educto utplurimum demonstrat; sed annotandum est, duos organismos in gravidis conservandos, duas vitas, mulieris et foetus, nutriendas esse. Omnis illa reproductio, quam majorem simulcum sensibilitate habere gravidam ob institutum naturæ sapientissimum haud negamus, minime ita

productionis faveat. In hoc systemate, continuat, ejusque efficacia igitur facile declinationes a norma produci cum sequelis minoris vel majoris momenti possunt, et calomel tale medicamentum est, quod fortissime in systema lymphaticum, simul autem in vasa sanguifera agat, horum motus irregulares ad normam reducat, omnia incitamenta nociva vi eccoprotica amoveat et æquilibrium amissum in functionibus restituat.

superflua est, dum fere omnis ad foetus præsertim nutrimentum, incrementumque adhibetur, et, magna vi vitali foeminæ huc applicata, tanta reproductionis copia modo mulieri restat, quæ ejus organismo plane necessaria sit. Hoc probant emaciatio foeminæ in statu graviditatis, calli difficilis formatio et curatio ossium fractorum, cicatricatio et sanatio vulnerum et ulcerum difficilior, quamquam major sanguinis plasticitas observatur. Hanc ob rem forsan in sensibilibus symptomata hysterica sub graviditate silent, quia sensibilitas, antea nimia, jam etiam ad usum foetus, ad ejus reproductionem maxima ex parte adhibetur et sic haud amplius fluctuare potest. [1]) Nocivus igitur gravidis habendus est mercurius, reproductionem minuens, qua tanto gradu opus habet mulier, depositionem a sanguine impediens, qua et illa et foetus egebit; et sic quidem declarari potest observatio a *Girtanner* [2]), parentes, qui mercurialia adhibuerint, infantes rachiticos gignere solere, in quo morbo reproductio labefactata est.

Quod lactantibus etiam mercurium haud porrigi jubetur, non solum hanc ob rem fieri

1) Vid. supra.

2) Vid. particul. 1mam p. 67.

videtur, quod metallum lacti suas qualitates imprægnet, nam vidimus, infantem magnam ejus copiam sine noxa sensibili ingerere posse, sed etiam quia necessario et quantitate et qualitate chemica lac differre cogitur per hydrargyrum, quod, reproductioni et sensibilitati infestum, producit vel minorem depositionem, generationem lactis, vel viribus ad bonam secretionem deficientibus, depravatum et minoris bonitatis.

Obstructio alvi et dyspepsia, quæ sæpe apud ægrotos, mercurialibus utentes, et post curam, etiam per hebdomades durantes occurrunt, ob incitationem vasorum absorbentium in canali intestinali et depressam in genere sensibilitatem, quæ admodum digestionem gubernat, [1]) accidunt.

Sanguis salivantium per vulnus minimum facillime effluit ob debilitatem solidorum magnam et tenuitatem humorum inde productam. [2])

Sub usu mercurii maxima adhibenda est cautio a refrigerio, quod in tali cura maximas noxas inferre posse dicitur. Lucem huic veritati affundit, quod organismus debilitatus gravius a

1) Vid. *Jäger* l. c. p. 105.

2) Cfr. *Howard* de vi mercurii medica 1782 p. 34.

potentiis externis afficitur, sive processus chemicus, sive mutatio galvanica in momento refrigerii accidat. [1]) Præterea transpiratio cutanea necessario conservanda est, dum forsan natura ita suam crisin producere studet, [2]) et metallum ipsum per hanc viam sese eliminare videtur; id quod probant color ornamentorum aureorum mutatus, sordes indusii et cutis in ægrotis, quibus hydrargyrum porrigitur, uti quoque illud exemplum singulare a *Harrold* narratum, [3]) in quo color cutis ab ingesto sulphure et mox porrecto mercurio, e quibus utrisque species æthiopis mineralis formabatur, et hic deponebatur, in nigrum mutatus fuit; frigus denique quoque sensibilitatem deprimit, et medicus ita haud effectus hydrargyri moderari valet.

Venositas illa magna post mercurium observata partim a debilitate organorum per illum producta, cum etiam reproductio in organis respirationis minuatur, quæ præsertim in sanguine arterioso elaborando consistit, optime declaratur; partim multum huc tribuit hydrogenium cum corpore a metallo communicatum; [4]) uti

1) Vid. nostri cel. Mynsters Pharmacol. 2 D. P. 150.
2) Vid. infra.
3) In Meckels Archiv, 3ter Bd. P. 532.
4) Vid. supra.

quoque similitudo systematis nervosi et venositatis, utriusque expansione se manifestantis et arteriositati oppositi, hic in censum venit. [1] Venositate ad maximum gradum adaucta, cum fere nullus sanguis ad arteriosum transformari queat, necesse est, ut non solum omnes sequelæ debilitatis, quam sanguis niger in organis producere soleat, sese exserant, sed etiam stagnatio in toto systemate venoso, ejusque appendice: lymphatico accidat, unde tumores hydropici exoriantur.

Notabilis et admodum sensibilis est actio mercurii quasi specifica in hepar et sic in bilem; præsertim in hujus organi morbis laudatur et sese efficax præstat nostrum metallum; apud quos mercurius præcipitur, observantur sæpe crebræ excretiones alvinæ virides et manifeste biliosæ cum optimo levamine. Hæc vis tam notabilis hydrargyri in hoc organon non nobis mira esse videtur, cum organon sit magni momenti reproductioni, [2]) a quo pariter ac a nervis hydrogenes paretur [3]), cum viderimus, venositatem sanguinis per mercurium augeri, e qua bilis se-

1) Vid. *Luccæ* in Meckels Archiv 3ter Bd.

2) Cfr. *Schäffer* l. c. p. 28.

3) Vid. *Sprengel* l. c. T. IV. p. 322.

cernatur, et quacum etiam in eo consentiat, ut majore copia hydrogenii polleat, quod, ut annotatum est, forsan in corpore illo metallo augeatur, et quam ob causam in regionibus calidis, ubi morbi hepatis tam frequentes sint, minima dosis mercurii ptyalismum excitet.

Ad postremum resolutionem humorum omnium producere valet argentum vivum propter omnium solidorum debilitatem, [1]) reproductionis præsertim depressionem et forsan ob copiam illam hydrogenii, quam organismo impertit metallum. Hanc ob rem quoque statum scorbuto admodum similem provocare potest, quem *Jäger* [2]) putat esse abundantiam hydrogenii & carbonici in corpore, quibus omne oxygenium sorbeatur et sic etiam a contractilitate amoveatur, quæ in scorbuto admodum debilitata sit.

Contra nostram sententiam de vi reproductionis debilitante mercurii afferri posset, quod mercurius Polypioniam producere valet. [3]) Sed hunc effectum modo habet metallum modica

1) Humores oxydati in corpore deponuntur atque hydrogenei evacuantur. Hac polaritate, vi vitali depressa, sublata, hydrogenium loco oxygenii in substantiis depositis increscit, et omnes humores sic tenuiores et solida laxiora evadunt (cfr. *Sprengel* l. c. T. I.)

2) l. c.

3) Vid. Jahns Klinik der chron. Krhtn 2ter Th. P. 426.

quantitate porrectum, et ille morbus, accumulatio adipis immensæ, a debilitate organismi originem habet,[1]) cum major vis et efficacia postuletur in reproductione ad substantiam musculosam formandam quam ad adipem deponendam, et cæteræ hujus morbi causæ indolis debilitantis et vires organismi deprimentis sint.[2]) Quod igitur contra nostra allata videri posset, his e contrario adstipulatur. Cum adeps quoque ex hydrogenio et carbonico consistat, id quod supra commemoratum est de bilis aucta secretione & hepate, hic quoque valere videtur.

Febri vehemente aut inflammatione locali notabili præsente, salivatio, illud signum effectuum mercurii, haud tam cito accedit, simulcum qua febris et inflammatio diminuuntur.[3]) Ex vi mercurii exposita hoc sequitur, nam quo major est sensibilitas et plasticitas, quo magis nervi et arteriæ incitata sunt, eo diuturniore tempore opus habet remedium, illa debilitare et deprimere studens.

1) ibid. p. 426.

2) ibid.

3) Inter multos cfr. *Müller* l. c., qui quoad hæc dicit, quo major incitatio sit in systemate sanguinis, eo difficilius esse ita aliud systema incitare, ut irritatio in illo diminuatur aut compescatur.

§. 18. Per hanc nostram sententiam, nuper explicatam, facillimum nobis evadit, omnes partes de actione mercurii certantes conjungere, et exponere rationes, cur hæc vel illa sic opinata sit.

Per *pondus* et vim prorsus mechanicam quidem agit metallum crudum, et antiquis temporibus non sat respectus habebatur ad mutationes magnas virium, quas subit præparatione metallum. Quod illa opinio de mercurio ut *evacuante* solum exorta est, non mirum quidem est, quoniam mercurialia dosi conveniente laxent et evacuationibus productis utilitatem sæpe exserant, et cum organismus, per medicamenta adjutus, hoc vel illo modo semper morbum fugare tendat, id quod maxime eliminationibus conspicuum fiat. Evacuationes præterea, cum propter contractionem, ut vidimus, producantur, sic facillime nostra explicatione de modo medendi hydrargyri evenire possunt, præsertim initio, quod etiam experientia testatur. Sententia de vi mercurii materiam veneream *neutralisante* a magna ejus in syphilide utilitate derivanda est; qui *resolutione* agere mercurium contenderunt magis effectum actionis propriæ quam hanc respexerunt. *Oxygenium* admodum efficax esse in præparatis mercurialibus, jam monstra-

tum est, cum sit illud, quod utilitatem metalli eliciat; præterea quoque contractilitatem augendo relative sensibilitatem deprimunt, dum absolute metallum in hanc agit. Sic bene elucet, cur vere et mitiora et fortiora præparata efficacia esse possint; et cur hæc, oxygenium majore copia continentia, sic optimum levamen afferant in casibus, ubi augmentum contractilitatis præsertim indicatur et minus de depressione sensibilitatis vel reproductionis agitur; cur e. g. merc sublimat. corrosiv. in aneyrysmate, in multis corporis molestiis, ubi sensibilitas aucta cum viribus deficientibus propellendi, cum depressa contractilitate, adsit, juvare valeat.

Sic etiam hydrargyrum *incitans* esse videtur per contractilitatem relative sensibilitate debilitata exaltatam, qua pulsus fortior evadit et cætera incitationis symptomata accidunt. Quod vere vasa *absorbentia incitentur* vidimus, sed quomodo haud modo ita agat metallum, monstravimus; et sic ad finem per continuationem absolute *debilitans* fit mercurius, cum a depressione sensibilitatis primaria sensim sensimque omnia systemata in consensum trahantur.

§ 19 Ita rem considerantes et his legibus hanc subjicientes in sequentibus morbis in

dosi autem pro indicatione differente, convenire hydrargyrum credimus:

In omnibus morbis, ubi, vel cum debilitata contractilitate vel sine ea, sensibilitas extra normam exaltata vel abnormaliter distributa est, et indicatio est eam deprimere. Tunc quidem parvis et repetitis dosibus porrigendus est mercurius; si præsertim contractilitas labefactata in culpam venit, tunc fortiora præparata, dum oxygenium in iis magna vi gaudent, contractilitatem augendi et sic quoque sensibilitatem deprimendi.

In omnibus vegetationis morbis, quibus specificus reproductionis character imprimitur, ob quem producta morbosa multifaria provocantur, et ad quos sanandos magna requiritur totius vegetationis revolutio. Hic convenit dosis metalli major, ut cito ab actione in sensibilitatem agere in reproductionem quoque possit.

In morbis, in quibus nisus plasticus et inclinatio humorum in depositionem lymphæ plasticæ supereminet; magnis et repetitis dosibus adhiberi debet in talibus casibus hydrargyrum.

In morbis, qui sese humorum inspissatione, obstructione canalium, induratione solidorum exserunt. Hic hydrargyrum præscribendum esse videtur parva et repetita dosi et attentione

medici hic admodum opus est; cura hic sæpe male succedit, partim quia utplurimum haud ad tempus sufficiens continuatur, partim quia facillime id excedit et sic morbum etiam auget.

In morbis, in quibus in genere vasa absorbentia torpore laborant et humorum resorptio retardatur, uti in hydrope, scrophulis etc Hic etiam cautus et circumspectus sit medicus necesse est, ut mercurius tam diu adhibeatur, donec per polaritatem vasa illa incitentur, nec supra hunc gradum, nec forsitan ad salivationem ob rationem supra explicatam. In hoc circumspectionis defectu, in difficultate forsan ita actionem remedii determinandi ratio invenitur, cur etiam in talibus casibus malum habeat hydrargyrum eventum.

Denique ut debilitans, cum cito alia systemata in consensum trahere valeat, in iis casibus convenire potest metallum, ubi methodus in genere debilitans indicatur; ubi tum maximæ et repetitæ doses mitiorum præparatorum in usum præscribendæ esse videntur.

§. 20. Num vere hæc omnia cum veritate consentiant, utrum probanda sint an non, magis e sequentibus elucebit, dum ad usum mercurii in principalibus morbis, quos sanavit et in quos a medicis celeberrimis laudatus est & lau-

datur, examinandum transimus, annotantes, haud nostrum esse, mercurium his in morbis laudare & suadere, sed modo illustrare, quomodo vis sanans possibilis evadat, et audentes addere, in quibus præsertim secundum nostram sententiam dandum sit hydrargyrum.

Sectio Secunda.

Actio hydraegyri practice explicata.

I.

Usus hydrargyri in inflammationibus.

§. 21. In morbis huc pertinentibus, contra quos mercurius ut eximium remedium a multis medicis recentiorum temporum commendatur, *Hamilton* [1]), *Lind* [2]), *Clark* [3]), *Matthews* [4]) *Rambach* [5]), *Reil* [6]) primum hydrargyrum, multas experientias pro ejus usu tradentes, suadebant. Initio autem a multis rejiciebatur, se haud intelligere dicentibus, quomodo remedium tanto gradu incitans inflammationem solvere posset [7]). Sed cito prodierunt viri, qui haud

1) In' medic. comment. Vol. IX. Anno 1764 a chirurgo ab India orientali reduce modum hic solitum, hepatitidem per merc. curandi, comperit.

2) Ueber die Krhtn der Europæer in heissen Klimaten a. d. E. von *Pezold* 1773.

3) Ueber die Krhtn auf langen Reisen nach heissen Gegenden a. d. E. 1775.

4) Observ. on hepatic. diseases in the East indies 1785.

5) Usus merc. in morbis inflammatoriis 1794.

6) Memorabil. clinico- medico- pract. Vol. II.

7) Vid. *Most* in Hufelands Journal d. p. H. 8ter Bd. 3tes St.

opinionibus decepti, haud ad sententias falsas de actions mercurii habitas respicientes, experientia multifaria nisi, magnis laudibus mercurium in inflammationibus tollebant, diverso quidem modo indicationes ejus determinantes, vim declarantes, magis minusve porrectionem restringentes, in hoc autem consentientes, mercurium in pluribus speciebus, certis inflammationum stadiis esse efficacissimum remedium. Pauci quidem ita ut *Rambach*, qui dicit, mercurium, nullo respectu ad sedem, characterem et causas habito, omnes inflammationes certe sanare, eum in omnibus esse porrigendum contendunt, plurimi modo in certis esse adhibendum censent. Sic *Most*[1]) hydrargyrum commendat: a) in inflammatione partis nobilis, quæ non solito modo cito sanatur; b) ubi antiphlogistica cætera ob nimiam debilitatem e. g. in typho, febri nervosa, dissuadenda sunt; c) ubi inflammatio mortem subitam minatur, uti in enteritide; d) in phlogosi catarrhali, scrophulosa, ubi methodus solita vel haud juvat, vel haud in usum trahi debet; et e) in inflammatione syphilitica. Sic *Fischer*[2]) hydrargyrum modo bonum esse putat in omnibus inflammationibus catarrhalibus om-

1) Vid. l. c. 9ter Bd. 3tes St.

2) Vid. Versuch einer Anleit. zu med. Armenpraxis 1797.

nique statu phlogistico cum debilitate et minuta irritabilitate; *Hecker*[1]) autem solummodo, ubi cum parva febri inflammatoria fluida serosa, mucosa, lymphatica, magis minusve ad coagulationem disposita, formantur; *Lichtenstein*[2]) in omnibus inflammationibus adhæsivis, *Hegewisch*[3]) in omnibus exsudativis, productivis metallum laudat.

Adhuc major autem dissensus existit inter opiniones, quomodo hic agat mercurius. *Hamilton* illum in his molestiis humores attenuare, et ad eliminationem morbi per alvum et sudorem sic disponere credit; sed sæpe nec illum nec hunc effectum excitat hydrargyrum; et cur vi majore tum polleret ac multa alia medicamenta, quæ citius et certius hoc efficerent? Nonnulli, uti *Gilchrist*[4]) et *Goy*[5]), qui causam proximam inflammationis cum antiquioribus in spissitudine vel stagnatione humorum ponunt, efficaciam ejus e vi resolvente derivant; alii censent[6]), mercurium modo convenire in inflam-

1) Vid. *Hufelands* Journal d. p. H. 9ter Bd, 3tes St. Pag. 20.

2) Vid. ibid. 27ter Bd. 2ter St.

3) Vid. ibid. l. c.

4) In physic. and medic. essays of Edinb. Vol. III.

5) Vid. diss. de virt. mercurii inflammationes resolvente 1794.

6) Vid. *Rambach* l. c.

mationibus a certa acrimonia specifica, aut vitio proprio corporis, scilicet in inflammationibus rheumaticis, scrophulosis similisve indolis, in quam acrimoniam, uti causam morbi proximam ageret. *Falk*[1]), qui hanc constrictioni spasticæ fibrillarum nervorum in ramis vasorum adscribit, dicens, indicationes esse, partes spasmodice constrictas laxare et humores stagnantes amovere, contendit, quod mercurium utrisque his indicationibus satisfaciat, spasmos sedans, stagnata propellens, acrimoniam emendans, partesque in humoribus alcalinas eliminans. *Busch*[2]) opinatur, non eum ita ut propria antiphlogistica agere, sed irritationem eodem gradu diminuere ac aucta sit, et cum arteriis vires magnas impertiat, inflammationes depravare nec adhibendum esse, nisi causa adsit, quam uti specificum domare queat, atque in animo medici sit, resolutionem parvæ inflammationis ad finem perducere. *Lind*[3]) propter manifestam argenti vivi noxam, ubi status putridus aut debilitas notabilis adest, concludit, qualitates ejus antiphlogisticas exinde declarandas esse, quippe quod

1) l. c. p. 126.
2) Vid. Recherches sur la nature et le traitement de la phthisie pulmonaire An IX.
3) In Saml. der auserlesen. Abh. 12ter Bd.

dispositionem in humoribus ad putredinem, diathesin putridam, provocet, vel quod atoniam et laxitatem producendo cito spasmum inflammatorium tollat. *Vogel*[1]) credit, hic juvare mercurium, quia hydrogenii symbolum applicandum est, ubi principium igneum (oxygenium) limites suos transit. Plurimi autem mercurii vim incitantem in inflammatione curare contendunt. Sic *Rademacher*[2]), qui laudat hydrargyrum ut incitans alius indolis, dicens, inflammationem posse compesci, aut totum corpus, et ita etiam partem inflammatam, debilitando, aut incitante, quod totum organismum in hunc incitationis gradum, qui similis sit organi affecti, modo vesicatorii redigat. Sic *Gebel*[3]), qui hanc ob rem modo mercurium in inflammationibus asthenicis commendat; sic *Lichtenstein*[4]); sic plures, quorum sententiam, rationes, conclusionesque exinde eductas non ulterius examinemus, quippe quæ jam investigatæ et refutatæ sint. Nec operæ pretium est morari in opinione *Horn*[5]), qui hydrargyrum absolute debilitare

1) l. c.

2) Vid. *Hufelands* J. d. p. H. 10ter Bd. 2tes St. Pag. 77 et sqq.

3) ibid. 17ter Bd. 5ter H.

4) l. c.

5) Vid. Handb. der pract. Arzneymittel. Pag. 164.

sumens hanc ob causam non solum id in inflammationibus asthenicis, verum etiam in sthenicis rejicit, quia nec cito nec sufficienter debilitet; nam experientia sat probat eximium hujus effectum in inflammationibus, et sine dubio auctor celeberrimus sic locutus nimis theoriæ suæ indulsit.

§. 22. Nobis, causam proximam inflammationis, de qua disputatur, utrum secundum *Pringle* sit acrimonia quædam, an auctoribus *Hoffmann* et *Wedekind* dispositio sanguinis ad putredinem, an consistentia adaucta, quas omnes sententias seriora tempora diu rejecerunt; utrum porro sit infarctus, quod credidit *Boerhawe*, an stimuli præternaturales, id quod volebant *Haller* et plures recentiores; an secundum *Cullen* & *Richter* constrictio spasmodica vasorum minimorum in culpam trahi debeat; utrum, ut *Reil* dicit, inflammatio proprius morbus sit vis vitalis vasorum sanguiferorum, an potius, uti *Horn* loquitur, localis cujusdam partis affectio vel hypersthenia, vel asthenia nitens cum functionibus hic adauctis; an, ut recentiores censent, inflammatio morbus evolutionis sit [1]), haud inquirentibus; atque, utrum divisiones in plures species, uti inflammationem veram et spuriam,

1) Vid. *Horns* medic. Archiv. 1818 1ste H. Pag. 11.

sthenicam et asthenicam congruant, necne, haud examinantibus, id quod nos nimis longe diduceret, sufficere credimus annotare, in omnibus inflammationibus sensibilitatem in vasis adauctam [1]) et reproductionem exaltatam esse.

Hoc probant dolor gravissimus, pro sensibilitate ægroti diversus, tumor, calor auctus, oscillatio abnormalis, reproductio localiter adaucta; probant mobilitas contractilitatis major, horripilationes, quæ semper plasticitatem certam partem occupantem antecedunt [2]), et in inflammationibus incipientibus observantur, atque expansiones, quæ in partibus affectis locum habent, quæque imagines sensibilitatis adauctæ sunt [3]). Has expansiones noster cl. *Abildgaard* experimentis maxima prudentia et sagacia in animalibus institutis monstravit; et de illis au-

1) Cfr. *Richters* specielle Therapie 1817. Voll. 1 pag. 117 et 120. *Earle* in *Meckels* Archiv für Phys. 3ter Bd. Pag. 425 et 428. *Callisen* nostr. chirurg. Vol 1 pag. 209. — Quod non irritabilitati inflammatio sit adscribenda vid. *Nasse* in *Horns* Archiv 1818 Pag. 28 et Pag. 37, ubi dicit: "ein beträchtlicher Antheil an der Entstehung der Entzündung muß den Nerven, der Sensibilität zugeschrieben werden".

2) Cfr. *Henke* l. c. pag. 207. "Sic horripilationes graviditatem incipientem, menstrua instantia et secretionem lactis initio comitantur.

3) Vid supra.

topsia in obductis convincimur. Eas in parte inflammata locum habere erat sententia *Winterl*[1]), et sufficiat pro nobis afferre nostrum celeberr. *Callisen*[2]). Dicit, non solum in parte affecta plethoram ad spatium, sed *ob tonum et cohæsionem in solidis* minuta plethoram ad vires adesse, "afluunt inde ob resistentiam vasorum diminutam copiosores humores, insolita temperatura semper rarefacti et quodammodo decompositi, et vasa minora majorem globulorum copiam recipientia inde rubrum colorem acquirunt."

Ob hanc sensibilitatem porro in parte affecta auctam "sanguinem ægre promovere videntur vasa"[3]), quia per sensibilitatis augmentum contractilitas, cujus est, fluida in vasis contenta propellere, minuta est[4]), et hanc ob rem vasa non solum hoc munere fungi tentant, "in parte affecta, sed quoque in partibus circumjectis, indeque pulsatio in inflammato loco et motus præternaturalis." Sed cum "haud prorsus motus impeditus sit", quoniam contractilitas certe excitatur, quando sensibilitas admodum aucta est[5]),

1) Diss. proponens inflam. theoriam. novam 1767.
2) l. c. pag. 212.
3) Vid. *Callisen* l. c.
4) Vid. supra.
5) Vid. supra.

"non obstructio et sanguinis stagnatio adest", cum autem illa vis contractilis necessario in tali statu sine vi sese monstret[1]) "non sat expedite, nec integra forsan quantitate accepta propulsant vasa et sanguinem in venas respondentes transmittunt".

Quæ cum ita sint, optime vis hydrargyri in inflammationibus intelligitur. Nam in inflammationibus indicatio est post causæ remotionem "*excitatam morbose vim vitalem diminuendi*, quod fit sanguinem accumulatum evacuando, *impressionem nervorum sedando*, vasis dilatatis robur reddendo, febrem consensualem infringendo"[2]). A sensibilitate aucta omnia, contra quæ certandum est, producuntur, et si hæc, si nervorum impressio sedatur, minuitur quoque inflammatio, dum contractilitas jam relative resuscitata sanguinem "expedite propellit" i.e. "vasis dilatatis robur redditur", et expansio præternaturalis evanescit, ita ut haud diutius "colatoria magis patula fiant et crassiori cuique fluido, lymphæ forsan coagulatæ præcipue, transitum concedant". Dum igitur venæsectio ad remedia indirecte deprimentia, quibus præternaturaliter excitata vis vitalis detractione incitamento-

1) Vid. supra.

2) Vid. *Callisen* l. c.

rum vitæ compescatur[1]), referenda est, mercurius inter ea ponendus est, quæ effectus illorum stimulorum in vim vitalem limitent.

§ 23. Convenit jam secundum nostram theoriam de actione hydrargyri determinare conari, in quibus inflammationibus præsertim congruat hydrargyrum, et peritioribus relinquere, num vere in his sese bonum præstiterit et præstet. Ita id esse efficax censemus:

1) In plurimis ætatis infantilis inflammationibus, cum in hac quæ a sensibilitate prævalente oriantur maxime occurrant, illis magis ab irritabilitate morbosa adultos afficientibus[2]), et cum reproductio et plasticitas abnormalis characterem singularem omnibus molestiis infantum imprimant[3]). Hanc ob rem experientia etiam laudes mercurii maxime in his inflammationibus testata est, et immensa ejus copia porrigi hic potest, antequam salivatio producitur[4]).

2) In omni phlogosi, organis lymphaticis et glandulosis inhærente, quia sunt organa re-

1) Cfr. *Manzoni* in Hufelands Journal Februar 1819 Pag. 49, et sqq.

2) Vid. supra.

3) Vid. *Henke* Entwicklungs Krhtn 1814.

4) Vid. supra.

produtionis, in quæ igitur, quamquam mediate, tamen cito agit mercurius, et quia incitat vasa absorbentia magno gradu metallum. Quomodo hanc nostram assertionem de efficacia mercurii in talibus experientia probet, videmus apud *Falk* [1]), *Walther* [2]), *Hegewisch* [3]) et plures.

3) In omnibus inflammationibus exsudativis vel productivis, talibus sc. quæ extrorsum tendunt et vel aquam, vel lympham, vel mucum vel indurationes producunt, cum hæ omnes a reproductione conspicue abnormali originem habeant, cum hydrargyrum, sensibilitatem vasorum deprimendo et in multis casibus contractilitatem in consensum trahendo, sic vim vasorum eorumque secretiones minuat, prohibeatque, quo minus aliquid abnormale deponatur, donec natura alio modo materiam plasticam adauctam, mucum, lympham etc. separet et noxas avertat. Qua veritate hæc nostra assertio nitatur sat patet, quoniam in his inflammationibus hydrargyrum mirificum effectum edit; id quod uberius e sequentibus elucebit, et quod maximo ardore, multaque pro hac sententia afferens probat *Hegewisch* [4]).

1) l. c.
2) l. c. pag. 170.
3) l. c. pag. 52.
4) l. c. pag. 59.

4) In inflammationibus, ubi orgasmus arteriarum parvi momenti est, sed quarum causa est singularis sensibilitas morbosa certæ parti insidens; an sint tales, quæ asthenicæ ab auctoribus vocantur, in quibus *Hufeland* in transitu earum a sthenia ad astheniam hydrargyrum jubet, non examinabimus, cum nomen nihil faciat, et applicatio metalli magis judicio medici periti determinanda sit. Quod experientia quoque hoc confirmet mox videbimus, quamque inflammationem, in qua nostrum remedium suadetur, in specie tractantes.

§. 24. Antequam autem hoc opus incipiamus, tentabimus aliquas regulas in adhibitione mercurii contra inflammationes in genere indicare.

1. In universum major copia mercurii in inflammationibus porrigi potest et debet quam alias, ob rationes, quas supra memoravimus.

2. Ut in genere primum vena ut plurimum secanda est, sic præsertim in magna plethora cum febri ardenti, doloribus atrocibus, venæsectio repetitis vicibus instituenda est, antequam mercurius porrigatur; nam quomodocunque sit, magnam sanguinis copiam semper inflammationes augere, hasque præsertim in plethoricis occurrere, scimus. In talibus inflammationibus,

si hydrargyrum mox præcipitur, morbus depravetur necesse est, cum sub eadem sanguinis quantitate in corpore subsistente, quando vis cordis et arteriarum simul minuatur, facillime tunc exsudationes, congestiones, vel stagnationes sanguinis oriantur. [1]) Si in talibus, ut legitur quidem apud *Rambach* et plures, mercurius mox adhibitus effectus bonos habuit, erat quidem in maximis dosibus, quæ cito reliquos vitæ modos in consensum trahentes totum organismum debilitabant atque ita vim inflammationis necessario minuebant. Dubitamus vero, an regula, quam *Vogel* [2]) dat, mercurium non ante præcipiendum esse, quam nullum sanguinem amplius emitti liceat, generatim valere debeat.

3. In phlogosibus, quæ magis a contractilitate oriri videntur et non tantum pulsu celeri quam forti et tenso sese manifestant, minus etiam indicatus esse videtur mercurius, qui si in usum trahitur, maximis et repetitis dosibus fieri debet et post phlebotomiam, ut contractilitas quoque deprimi queat.

4. Quo magis stheniæ veræ sese appropinquat inflammatio, eo minus convenit mercurius.

1) Cfr. *Manzoni* l. c. p. 51.

2) Progr. üb. die neue entzündungswiedrige Heilart durch Quecks. 1802 §. 15.

5. Quo magis in truncis magnorum vasorum residet phlogosis, eo minus juvare videtur applicatio argenti vivi, nam nobis constat, sensibilitatem in truncis minorem esse et contractilitatem prævalere. [1]) Si ramis vasorum, nervis abundantibus, e contrario inhæret malum, jam mercurius optimus est, et venæsectio forsan tum minus necessaria.

6. Hydrargyrum optime suam vim antiphlogisticam exserit, quando timet medicus majorem sanguinis copiam evacuare, quoniam nec in hoc gradu nec tam subito debilitat, nec individuo aliquid detrahit.

7. Præparata mitiora, minorem oxygenii copiam continentia, uti calomel, merc. solubilis Hahnemanni, præsertim congruunt, partim quia oxygenium processum combustionis, inflammationem, auget, partim quia, omni incitatione vitata, debilitandus est organismus.

8. Ad salivationem usque non opus esse videtur ut adhibeatur hydrargyrum.

9. Apud senes haud sic indicatur, cum nisus ad productivitatem in iis minor sit.

10. In omni inflammatione gangrænescente, destruente, nocivum est. [2])

1) Vid. *Schäffer* l. c. p. 219.

2) Cfr. *Hegewisch* l. c.

11. Aliis remediis convenientibus jungi potest mercurius, uti antimonialibus transpiratione deficiente, valerianæ, moscho et talibus quando indicatio est, sensibilitatem diffundendi, camphoræ, vesicatoriis sub virium debilitate. Opium, quo *Rambach* dicit haud opus esse, et quod *Hamilton* putat evacuationes nimis fortes, quas facile produceret mercurius, inhibere et quietem cum corpore communicare, et *Widemann* 1) habet incitans volatile, dum mercurius tale sit fixum, censemus, agere cum metallo junctum, quia spasmos præsentes vel dispositionem ad eos tollit et quia vere vi quadam mercurii analoga gaudet. 2)

His sic in genere positis jam judicium nostrum feremus de inflammationibus in specie, quas autores præsertim sanare student hydrargyro.

Angina polyposa.

§ 25. Quibus laudibus hoc in morbo, infantibus atrocissimo, celebratus sit mercurius et quam bonos effectus exserat, nos edocent

1) In *Hufelands* Journal 24ter Bd. 3tes St. P. 117.

2) Vid. supra.

Thilenius, [1]) *Bard*, [2]) *Rusch*, [3]) *Michaelis*, [4]) *Sachse*, [5]) *Autenrieth*, [6]) noster celeb. *Klingberg*, [7]) *Weber*, [8]) dum etiam eum hic laudant *Girtanner*, *Kuhn*, *Hamilton*, *Anderson*, *Archer*, *Rademacher*, *Mahon*, *Hecker*, *Rumsey*, *Winkler*, *Neumann*, *Most*, *Boehmer*, *Albers*, *Harles*, *Augustin*, *Loeffler*, *Schäffer* et multi alii. [9]) Objectiones a *Gutfeld* et *Kapp* [10]) contra ejus usum hoc in malo minime nos ab adhibitione prohibere valent, cum uterque, alter, hunc non sat cito agere contendens, alter hunc in morbo, ubi tanta copia oxygenii adsit, metuens, sat refutatus sit, [11]) et sufficit nobis examinare, cur hic tam

1) Medic. chirurg. Bemerk. 1789 P. 52.
2) In Richters chirurg. Bibliot. T. V.
3) Medic. Unters. u. Beobacht. a. d. E. 1792 P. 190.
4) In Hufelands J. d. p. H. 28ter Bd. 6tes St. P. 84.
5) ibid. 31ter u. 32ter Bd.
6) ibid. 32ter Bd. 4tes St. P. 46.
7) In Bibl. for Læger 4de Bd.
8) In Horns Archiv 1816 1ster Bd.
9) Vid. *Sachse* l. c.
10) ibid. P. 55 56.
11) ibid. — Vix quoque *Jurine* (über den Croup 1818) uberiori refutatione opus habet, qui mercurialia his quæstionibus dissuadet: "Ist es aber nicht zu befürchten; daß wegen der Nähe dieser Organe die schmerzhafte Reizung, welche der Salivation vorangeht und sie begleitet, die im Larynx u. der Trachea unterhalten oder sie sogar vermehren wird? Oder glauben sie, daß calomel wirke bloß als ein kräftiges Abführungsmittel? Hat dies Mittel in ihren

eximium sit remedium. *Bard* [1]) censebat, id secretione muci adaucta membranam in hac angina e trachea evellere et solvere, contra quod *Autenrieth* annotat, mercurium non sputa cocta producere; *Rush* [2]) credebat, hydrargyrum hic agere, secretionem muci in glandulis oesophagi, ventriculi et intestinorum augendo et sic eam in vasis laryngis minuendo; *Michaelis* [3]) princeps medicamentum id habet, quod magnam muci dispositionem ad condensationem tollat et excretionem per cutem promoveat; *Harles* [4]) id in usum trahit, putans, id incitatione magna et specifica in systema absorptionis agere; *Marcus* [5]) censet, mercurium dulcem tam utilem esse ob largam oxygenii copiam, quod contineat, *Eccard* [6]) e contra, originem anginæ polyposæ

Augen vielleicht in dieser Krht eine ganz besondere Wirkung auf den Darmkanal, den alle übrige Abführungsmittel nicht haben? Oder endlich betrachten sie den Calomel als ein Specificum gegen den Croup?"

1) l. c.

2) l. c. p. 196.

3) Richters Biblioth. 5ter Bd. P. 744.

4) In Journ. der ausl. medic. chirurg. Litteratur, 6ter Bd. P. 128.

5) Ephemeriden der Heilk. 3ter Bd. 3ter H. In Ehrhardts med. chirurg. Zeit. 1813, 1ster Bd. P. 339 allatum e contra reperitur, præparata fortiter oxydata nocere et minus oxydata citius et melius agere.

6) Beobacht. u. Heilung der häutigen Bräune 1812.

ab oxygenio in aere derivans omnes metallorum calces oxygenium absorbendo agere atque hanc ob rem mercurium dulcem salutarum esse; *Sachse* [1]) hydrargyrum laudat, quod in omni statu sthenico et asthenico sine dispositione ad gangrænescentiam conveniat, et in omnia systemata, præsertim vias excretorias, citissime vero in glandulas salivales agat; *Autenrieth* [2]) morbum concentrationem totius corporis sensibilitatis ad organa respiratoria habens, indicationemque esse putans hanc derivandi, opinatur, hydrargyrum morbum systema gastricum adducere et per fortem alvi subductionem effectus mirificos edere, bonaque signa esse linguam albam, colicas, diarrhoeas foetidas.

Quas omnes sententias non possumus, quin minus rectas et veras habeamus, cum plurimi partim effectus mercurio adscribant, quos vix habeat, et partim secundaria phænomena primaria habeant; ne *Autenrieth* quidem, cujus meritum est mercurii usum hoc in morbo induxisse, postquam propter dosin debito minorem in dubiam utilitatem redactus erat, [3]) et cujus

1) l. c. p. 52.

2) l. c p. 46 et seqq.

3) Vid. Michaelis med. pract. Bibl. 1ster Bd. P. 112.

sententiæ jam antea *Kuhn* faverat, [1]) assentire possumus. Si enim sic actio esset, hoc malum acerbum æque facile laxantibus drasticis cederet; quod autem non fieri, experimentorum a medicis gallicis mali successus sat evincunt; [2]) diarrhoea, ad cujus exortum usque mercurium porrexit, vix semper occurrit, et tamen morbus curatur; et in omnibus suis exemplis anginæ polyposæ feliciter sanatæ obductionem linguæ raro et diarrhoeam foetidam modo semel observavit *Weber*, [3]), qui putat, secretiones et excretiones muci modo probare, quod mercurius dosi sat forti ad salutarem humorum mutationem producendam corpori insit, sed minime quod morbus per eas, quasi vires vicarias, sanetur. Hanc ob rem is sic actionem hydrargyri in cunanche tracheali declarat, quod, resolutione lymphæ coagulatæ sanguinis producta; humores attenuentur atque ita dispositio corporis ad plasticitatem pathologicam tollatur, addens, in casibus perraris, quando infantes intestinis admodum irritabilibus, ad diarrhoeam inclinantibus, laborent, curationem per fortia evacuantia sine hydrargyro perfici posse.

1) ibid. p. 113.

2) l. c.

3) l. c.

Quamquam hic auctor effectus cum actione mercurii propria confundit, haud inficiabimur, ejus declarationem nostræ theoriæ admodum consentaneam esse, sed majore claritate, sagacitate et judicio hanc rem disquisivisse, veritati, licet sententiam haud clare et manifeste in medium proferat, propius accessisse nobis videtur noster celeberrimus *G. Klingberg.* [1]) Proprietate veræ anginæ membranaceæ in abnormali lymphæ coagulabilis depositione posita, *Autenrieth* applaudit, qui dicit, anginam polyposam quoad curam ut morbum universalem esse considerandam, nec modo activitatem in tunicis laryngis, sed quoque dispositionem singularem in sanguine, lympham coagulatam deponendi, a medico esse compescendam. Censens tunc, indicationem præcipue esse, alterantibus fortissimis sanguinem hoc nisu ad coagulationem, quem non solum in viis aeriferis, sed etiam aliis locis, uti in intestinis, evacuationibus observatum, manifestat, privandi, putat, hoc fieri per hydrargyrum, quod ita ut *alterans* agere dicit. Quod vere ita se habeat cum proprietate hujus morbi, ejusque causa et indicatione, prohibendi, quo minus lympha coagulata secernatur, hoc nobis persuadent

1) l. c. p. 30.

tota mali observatio, symptomata, experientia auctoris nostri et plurium. Hanc ob rem *Jurine* [1]), illos refutans, qui emetico materiam albuminosam in larynge condensatam primum esse ejiciendam contendunt, dicit, primam indicationem non esse concrementum amovendi, sed ejus formationem prohibendi; ideo *Hufeland* proponit, morbum anginam exsudatoriam vocare [2]) et nos eam cum *Hegewisch* [3]) ad numerum inflammationum, quas nomine exsudativarum insignit, referimus.

Quando sic consideramus, hic plerumque plasticitatem maximam in sanguine adesse, illum esse morbum reproductionis maximæ; infantes, sensibilitate et productivitate præsertim gaudentes, esse, qui hoc afficiantur; quando jam in mentem revocamus, mercurium omni sensibilitati et sic omni reproductioni esse infestum, nobis clare elucet ratio magnæ hydrargyri efficaciæ contra hunc morbum. Dum ita hirudines, quando inflammatio in larynge, quod raro tamen accidit, [4]) acuta est, affluxum sanguinis prohibent et inten-

1) l. c. p. 264.

2) In J. d. p. H. 28ter Bd. 6tes St. P. 115.

3) l. c. p. 65.

4) Vid. *Klingberg* l. c.

sitatem principii morbi minuunt, dispositionem illam haud compescere valentes; [1]) vesicatoria solummodo derivant; emetica mucum collectum eliminant, [2]) initio sæpe morbum avertunt, sæpe autem nocent; cataplasma emolliens resolvit et spasmum laryngis minuit; moschus, camphora, flores zinci, sicuti cætera antispasmodica in insultibus spasmodicis proficiunt; mercurius agit sensibilitatem in larynge deprimendo, [3]) plasticitatem delendo, depositionem hujus materiæ plasticæ vel fluidi alius abnormalis prohibendo.

§. 27. Agmen claudant sequentes annotationes therapeuticæ:

1. Quoad tempus indicationis sunt, qui mox mercurium porrigant, [4]) alii [5]) pri-

1) ibid.

2) Nonne forsan emetica, quæ alio modo tam efficacia hic esse videntur, sensibilitatem illam in larynge partibusque cæteris domare valent? vid. infra. Sic *Albers* (in nota ad opus *Jurine* l. c. p. 270) dicit, emetica mox cum bono effectu in Bremen non ad lympham plasticam ejaculandam, sed ad inflammationem diminuendam adhiberi.

3) Cfr. *Jurine* l c., qui dicit sensibilitatem in larynge hic permagnam esse, et *Albers* in nota p. 182 "die Krht erfordert in den allermeisten Fällen eine schwächende Behandlung."

4) Præsertim medici Americani vid. *Michaelis* l. c. et Richters Bibl. 1ster u. 6ter Th.

5) Cfr. *Sachse* l. c.

mum venam secant, quod quidem debilitate et ad spasmos dispositione, quas producere potest, nocere valet A judicio practico ita hoc dependere debet; et si mox in usum trahitur mercurius, maximis dosibus esse debet, quas quidem etiam præcipiunt illi, qui ita procedunt; [1]) alias, ut dicit *Hegewisch*, [2]) convenit præsertim, quando, sthenia parum diminuta, nisus ad producendum exoritur.

2. Salivationem non esse, quæ sanet, curatio sine ea probat [3])

3. Opium adjunctum partim diarrhoeam minuere, partim spasmum in viis aeriferis consensualem domare censet *Hecker*, cui assentit *Klingberg* qui sententiam *Autenrieth* rejicit, ut purgans agere mercurium; cæterum quomodo opium vim mercurii sustentare valeat, supra memoravimus.

4. Grana XII ad XVIII per diem sufficere *Autenrieth*, *Weber* autem majorem esse debere dosin, putat.

5. Cum antacidis bene combinatur, siquidem infantes acido præsertim laborant.

1) Cfr. *Michaelis* et *Richter* l. c.

2) l. c. p. 66.

3) Cfr. *Sachse* l. c. p. 80.

6. Ubi characterem gangrænescentem habet angina haud convenit. [1])

7. Secundum *Lentin* [2]) externe applicatum nullum effectum præstat hydrargyrum, cum modo parce tum massam sanguinis intret, nec diathesin pathologicam humorum generalem mutare valeat. [3])

Febris puerperalis maligna.

§. 28. Optime post tractationem anginæ polyposæ commemoratur, quia vere maximam

1) Cfr. *Hegewish* l. c. In *angina maligna* quidem sunt, qui merc. laudaverunt (vid. medic. observ. and inquires by a society of physic. Vol. I. 1758 p. 211, *Michaelis* in *Richters* Bibl. P. 337, *Wedekind* de morb. primar. viar. vera notit. et curat. 1792 p. 74; *Wolff* in Hufelands J. 34ter Bd 4tes St.) sed sine dubio vix convenit nisi mox initio in stadio inflammationis (cfr. *Hegewisch* l. c. pag. 73 et *Müller* l. c.; *Johnstone* in Saml. auserl. Abh. 5ter Th. P. 400. Cæteræ *anginæ* species contra quas etiam hydrargyrum laudatum est (vid. *Lange* miscell. veritatis de reb. medic. 1794 fasc. I. p. 5; *Burserii* institut med. 1787 T. III p. 366) haud ita ejus adhibitionem indicant, et annotationes ad inflammationes in genere hic valeant; eximius tamen est ejus usus quando glandulæ affectæ sunt (vid. supra). In *tussi convulsiva* veteres merc. adhibuerunt, et nuper *Marcus* (der Keichhusten üb. seine Erkenntniß, Natur u. Behandl. 1816 P. 184) eum et ob similitudinem cum angina polyposa et ob naturam ejus inflammatoriam (?) commendavit.

2) Beyträge zur Arzneyw. rc.

3) Vid. *Weber* et *Klingberg* l. c.

cum hac habet similitudinem. [1]) Etiam hic plasticitas maxima adest, etiam hic reproductio maximo vigore prævalet, quæ si in illo morbo laryngem viasque aeriferas præsertim petit atsque in his organis sua producta abnormalia deponit, in hac febri ad abdomen ejusque partes ob viciniam partium genitalium derivatur; quare quoque ad hanc prædisponunt omnia irritantia abdominis, uti impuritates primarum viarum, partus difficilis etc. et quod probant defectus lactis in mammis in pluribus casibus observatur, et illæ materiæ exsudatæ in obductis repertæ. Hanc ob rem quidem ita mercurius laudes, quibus ab innumeris hic accumulatus est, [2]) mereri videtur, et ratio, cur toties sine effectu porrectus sit, magna ex parte petenda est ex nimis sera ejus applicatione.

§. 29. Annotanda autem sunt:

1. Si status admodum sthenicus est, venæsectiones vel generales, vel locales præmittendæ

1) Cfr. *Hegewisch* l. c. p. 74.

2) Cfr. *Hamilton*, *Hegewisch*, *Müller* l. c. Jam 1742 *Wagner* (de medicam. quodam ad puerperas febres mali moris epist. 1742) medicis Frankforsiensibus remedium specificum contra hanc febrem laudavit, quod *Gmelin* opinabatur esse merc. dulc. quem postea cum bono levamine adhibebat. (diss. de febre miliari 1752 p. 29 31).

sunt, alias emeticum primum porrigendum est.

2 Cito præcipi debet mercurius et quidem magna dosi.

3 Quando indolem typhosam sibi induit morbus, mercurius haud juvabit, potius nocebit [1])

4 Opium in conjunctione multi auctores in hac febri laudant et annotandum est, theoriam huic conjunctioni haud contradicere, sed potius hanc probare. [2]) Liceat ex ipsa nostra experientia parva nonnulla efficaciæ hujus combinationis exempla afferre, quibus declaratio nostra de actione hydrargyri quoque confirmatur.

a In foemina, quæ ope versionis a nobis in xenodochio puerperarum habitantibus institutæ peperit, tertio die accessit febris puerperalis cum omnibus suis symptomatibus, et quidem notabili gradu; post emeticum mixturam acidam moschatam porreximus; sed postridie tantum aberat, ut symptomata diminuta essent, ut potius sic increvissent, ut ob dolores in abdomine notabiliter expanso epilepsia, qua nunquam antea affecta erat ægrota, exorta esset.

1) Cfr *Hegewisch* l. c.

2) Vid. supra.

Periculum in mora adesse videbatur; in memoriam revocantes plures auctores, mercurium hic laudantes, et plures puerperas feliciter ita sub præsidio nostri cl. beati *Mynster* curatas, maximam fidem in hoc metallo posuimus atque mercurii dulcis gr. II bihorio cum gr. $\frac{1}{2}$ opii intus simulcum linimento resolvente in abdomine præcepimus, dum sanguinis missiones ob cæteram ægroti constitutionem asthenicam timuimus. Jam vespere celeritas pulsus diminuta erat, sed plenitudo adaucta et quietior erat ægrota. Mane insequente mox hic puerperæ nuntius maximo gaudio nos implevit, omnes dolores et expansionem abdominis evanuisse, sensibilitatem heri maxime exaltatam plane sedatam esse, noctem quietam fuisse, sed magnam modo debilitatem superesse. Post duas horas diarrhoea accessit, quam salutarem habentes non sedavimus, sed quam haud esse, quæ sanaret, credimus, cum omnia symptomata in antecessum siluissent et sæpe cura sine diarrhoea successerit. [1]) Natura forsan modo per diarrhoeam quod jam exsudatum et propter reproductionem localiter adauctam depositum est, eliminare tentatu, hac dispositione in anteces-

1) Cfr. *Hegewisch* l. c. et infra.

sum domata. Sanitas foeminæ perfecta insequebatur, et optime postea valuit

b Paulo post noster spectatissimus amicissimus *H. Gartner* ægrotam sub cura habens, hac febri laborantem, nos benigne huc deduxit, ubi ante ejus accessum mixt. acid. moschat. et plura alia frustra in usum tracta erant. Ipse efficaciæ mercurii hoc in morbo fidens, narratione nostra illius memorati exempli magis incitatus, hydrargyrum præcepit, quocum opium junxit. Optimus erat successus, et plane sine diarrhoea e febri convalescebat puerpera.

c Mox postquam nosocomium puerperarum reliqueramus, ab illa nostra ægrota commendati, ad foeminam arcessiti sumus, quæ nuper partu naturæ ope edito febri illa haud magno tamen gradu laborabat. Emetico porrecto mercurium illico in usum traximus, cui autem ob rationem infra memorandam, moschum addidimus. Vespere redeuntes invenimus quidem ægrotam parum meliorem, sed dolores graves tamen persistebant. Mane insequente status idem erat, jam opium moschi loco pulveribus mercurialibus adjunximus, et vespera ejusdem diei symptomata admodum mitigata erant, quæ postridie prorsus evanuerunt. Ob gingivas dolentes et halitum metallicum pulve-

res seposuimus, et ob alvum per plures dies clausam aliquod laxans dare coacti sumus. Sanatio perfecta sequebatur, et annotandum est, in hoc casu alvi segnitiem per longum tempus remediis oppugnare opus esse. In his duobus casibus ultimis igitur diarrhoea haud accessit.

Hanc autem conjunctionem mercurii cum opio clarissimus noster *J. S. Saxtorph* haud commendat, pluribus exemplis nitens, in quibus noxam ejus magnam et dolosam vidit, et quam ob rem moschum ejus loco suadet. Gratias præceptori doctissimo ob acutas de hac re observationes habemus, quas nobiscum communicavit, historiam morbi primæ puerperæ ex officio ei monstrantibus, et quæ in alia nostra ægrota nos initio ab hac combinatione deterruerunt.

Encephalitis.

§. 30. Haud in hac specie, quæ in adultis occurrit, tam salutaris esse videtur mercurius, cum hic derivantia fortissima et alia venena sensibilitatis localiter applicata magis indicata forsan sunt, sed in ea, qua juniores sæpe laborant, apud quos est morbus totius organismi, sc. reproductionis supra normam auctæ cum crebra sanguinis ad caput congestione. [1]) Cum etiam

1) Cfr. *Henke* l. c.

hæc inflammatio exsudativa sit, dum aqua producatur, urgenter hic hydrargyrum esse indicatum, dicit *Hegewisch*, [1]) et sane theoria nostra maxime ejus sententiam probat. Magna dosi autem id esse adhibendum videtur.

Ophthalmia.

§. 51. In hac omnia tempora mercurii usum laudaverunt, sive chronica sc. scrophulosa, venerea, rheumatica, variolosa etc., sive acuta esset. [2]) In sequentibus tamen speciebus secundum theoriam nostram et experientiam congruum videtur esse metallum.

1. Ubi glandulæ palpebrarum productum deponunt, ei in angina polyposa et febri puerperali haud absimile; ophthalmiam neonatorum sic tunc primum poterant medici sanare, postquam mercurius in usum contra hanc inductus erat. [3]).

2. Ubi sub inflammatione gravi secretio muci copiosa in tota tunica conjunctiva locum habet.

1) l. c. p. 83.

2) Vid. *Rambach* l. c. *Lind* in Lond. medic. journal T. VIII. *Müller* l. c.

3) Vid. *Dreyssig* diss. de ophth. neonator. 1793.

3. In irititide, haud vi externa exorta, quæ coarctationem pupillæ minatur i. e. ubi exsudatio lymphæ coagulabilis in margine interna occurrit.

4. Contra maculas corneæ transparentis. [1])

Pneumonia.

§. 32. Hic optime convenit mercurius [2]), præsertim in talibus speciebus, dicit *Hegewisch* [3]), ubi corpus juvenile et productivum, atque exsudatio activa est, cum in omnibus juvenum inflammationibus pectoralibus dispositio adsit ad producta abnormalia deponenda. Nonne hæc veritas, quam innumeris exemplis probat experientia, maxime nostræ declarationi de mercurio consentanea est? Quoad adhibitionem *Monro* [4]) hydrargyrum mox sine præmissa phlebotomia porrexit; melior tamen est successus, si adhibetur, quando sanguine sufficienter emisso, tensio pulsus minuta est, dolor vero ob sensibilitatem morbosam remanet, et timor adest plus sanguinis evacuandi.

1) Cfr. *Hegewisch* l. c. p. 82.

2) Cfr. *Hamilton* et *Rambach* l. c.

3) l. c. p 70.

4) In Saml. auserlesener Abh. T. V. P. 174.

Enteritis.

§ 33. In hac inflammatione, quam admodum similem esse febri puerperali dicit *Müller* [1]), mercurius etiam maximum levamen obtulit [2]), cum sc: haud ingestæ vel alio pacto immissæ acrimoniæ in culpam trahenda sunt. Et quando consideramus, etiam hic maximam dispositionem ad exsudationem adesse, et reproductionem abnormalem prævigere, id quod symptomata, sequelæ et obductiones demonstrent, haud opus est uberius examinare, cur tam efficax in enteritide sit hydrargyrum. Quoad applicationem, dosin et cætera, nos ad ea referimus, quæ generatim de inflammationibus dicta sunt; sic in enteritide apud senes haud tam utilis est quam in juniorum, dum quoque semper causa in censum venire debet.

Hepatitis.

§. 34. Contra hanc inflammationis speciem laudes mercurii ab omnibus "ab Indo usque ad Tamisum" celebrantur [3]); et solummodo opus

1) l. c.

2) Vid. *Lind* l. c. et "Journal der Erfindungen, Theorien ꝛc. 14 u. 15 St., ubi dicitur: "das Quiksilber ist hier ein göttliches Mittel".

3) Vid. *Clark* l. c. p. 184. *Lind* Krht. der Europæer Pag. 87, *Chisholm* in Edingb. Comment. dec. II. T. 1 p.

est, ut respectum habeamus ad morbum ipsum, in quo eadem exsu quod a datio introrsum, id structura et functionibus hepatis dependet, minatur, ad organon hoc, quod summo gradu glandulosum reproductioni præest, ad qualitatem mercurii a nobis manifestatam et ejus vim quasi in hepar specificam, ut prorsus ejus efficaciam hic intelligamus. Et in chronica et in acuta [1]) inflammatione hepatis sese utilem præstat, haud tamen, ubi status colliquativus, putridus [2]) vel paralysis [3]) in ipso organo adsunt. Extus cum bono fructu applicatur, quando jure suspicari licet, inflammationem præsertim superficiei hepatis insidere [4]); cumque haud facile discerni possit, an profundius etiam inhæreat phlogosis, et intus et extus applicari debere videtur; ob circulationem sanguinis in hepate naturaliter lentiorem venæsectio haud toties instituenda est, et citius quam in aliis inflammationibus mercurius porrigi potest.

261; *Wilkinson* in Saml. auserl. Abh. T. XIII, *Pearson* ibid. p. 691. *Kreysig* in Hufelands J. 12te Bd.

1) vid. viros citatos.

2) vid. *Lind* in Saml. auserl. Abh. 12ter Bd.

3) Cfr. *Hegewisch* l. c.

4) Cfr. *Pemberton* in Horns Archiv 1817 1ster Bd. Pag. 466.

Cystitis.

§. 35. Non in omni hujus phlogoseos specie [1]) hydrargyrum congruit, uti v. c. non multum præstaret, ubi calculus vesicæ senis inhæret, sed ubi, uti censet *Hegewisch* [2]), inclinatio adest ad inflammationem luxuriosam e. g. producta polyposa, similitudinem cum iis in angina membranacea referentia, et igitur reproductio extra normam aucta huc derivata est. Nonne hoc admodum nostræ theoriæ favet, sicuti annotatio ejusdem cl. viri, mercurium bonum esse in molestiis vesicæ apud puerperas, si cum ea, uti sæpe cum peritonæo inflammatio uteri communicatur?

Et sic quoque in reliquis abdominis inflammationibus, uti gastritide, peritonitide, diaphragmitide etc. commendandus est mercurius, si illa dispositio exsudativa existit [3]).

II.

Usus hydrargyri in syphilide.

§. 36. Omni certamine de ortu hujus morbi præterito, omnibusque opinionibus principali-

1) Cfr. *Rambach* l. c., *Gilchrist* in physic. and medic. essays of Edingb. Vol. III. p. 474.

2) l. c.

3) Cfr. *Hegewisch* & *Rambach* l. c.

bus de actione mercurii jam tractatis, ut melius ratio utilitatis ab omnibus probatæ metalli in lue venerea nobis pateat, necesse est, ut mentem ad duas quæstiones solvendas præsertim vertamus sc: 1) in quo stadio præprimis se efficacem monstrat mercurius? et 2) quæ est essentia morbi initio et sub progressu?

Quoad primam quæstionem experientia sat probat, præsertim initio salutarem esse mercurium, præsertim affectus primarios esse, quos certe sanet hydrargyrum [1]); adhiberi scilicet debet, quando malum quoddam locale in totum organismum agere coepit, et ad luem universalem producendam tendit; quando præsertim medicus studere debet, symptomata secundaria avertere.

Quoad essentiam luis, licet pro et contra pugnaverint scriptores, in hoc plurimi tamen conveniunt, syphilidem initio actionem incitatam in reproductivitate esse [2]). Symptomata morbi incipientia considerantes, statum inflammatorio similem adesse [3]), in quo plurimi con-

1) Cfr. *Jäger* l. c. p. 299.

2) Cfr. ibid. p. 298.

3) Cfr. inter plures *Hunter* l. c.; *Howard*, qui l. c. p. 57 dicit, nervos in lue venerea gradum præternatura-

sentiant, et sensibilitatem in toto organismo exaltatam esse observamus, atque concludere debemus, illam esse, quæ reactionem excitet corporis, quod nocere studet, avertendi, quæ autem cum nimia sit, e contrario causa sit, cur organismus minime ipse morbum sanare valeat[1]); concludere debemus, sensibilitatem adauctam esse, quæ eundem imprimat characterem reproductivitati, quæ sic quoque extra normam aucta ad producta abnormalia generanda tendat[2]). Quod ita se habeat probat gradus dolorum notabilis, magna symptomatum differentia in individuis differentibus[3]), major morbi vehementia in juvenibus, robustis, plethoricis, in quibus major igitur reactio necessario producitur; confirmat observatio, quod, locali malo exoriente, diminuatur reactio sensibilitatis in reliquo corpore propterea quod, quamvis

lem irritabilitatis possidere; *Jahn* l. c. p. 66, qui inflammationem esse primum phænomenon omnis syphilidis primitivi censet.

1) Cfr. *Hufelands* Pathogenie 1795 Pag. 257.

2) *Hufeland* in System der prakt. Heilk. 2te Th. Pag. 599 dicit, contagium venereum ut incitans corpus afficere et exinde fieri incitationem, fermentationem & reproductionem.

3) Cfr. *Hufelands* Pathogenie. Systema nervosum affectum esse, dicit *Walch* (Ausführliche Darstell. des Ursprungs, der Erkenntn, Heilung u. Vorbauung der venerisch. Krht 1811) Pag. 10.

eadem, huc derivetur et molestias locales exci- tet; confirmat experientia, symptomata luis venereæ maxime notabilia evanescere generali vis vitalis depressione, uti exortu typhi, fortibus evacuantibus, cum morbus non sine quadam reproductionis energia vigere possit, et contra symptomata venerea iterum supervenire, quando vis vitalis resuscitata sit et reproductio vires susceperit [1]). Sic etiam bene illustrari potest vis, quam recentiora tempora ferro, metallo tanto gradu reproductivitati faventi et exaltanti, reliquias luis manifestandi tribuerunt [2]). Morbo sibi ipsi relicto, et naturæ moliminibus haud sat moderatis, sensibilitas et reproductivitas ob nimiam intensionem consumuntur, et maxima hæc momenta invadit debilitas, in quam cito etiam arripitur contractilitas; humores jam resolvuntur, status scorbutico similis supervenit et morbus, quem natura ob nimiam efficaciam haud domare poterat, jam e contrario insanabilis per se ob maximam debilitatem, deficientem reagendi nisum evadit [3]), dum vasa absorbentia jam quoque vitio generali laborant,

1) Cfr. *Jäger* l. c. p. 298.

2) Vid. *Walch* l. c. p. 224.

3) Intentio virium nimia debilitatem producit, et activitatis defectum eo majorem quo major fuit intentio vid. *Sprengel* l. c. T. III. §. 36.

ob exstinctam sensibilitatem functionibus inæqualia. Quod discrimen igitur patet inter initium et progressum luis syphiliticæ, et quæ annotationes salutiferæ ex hac observatione educi debent![1]).

§. 37. Nostrum est omnia illa indicare, quæ maximo gradu nostram declarationem de actione hydrargyri, et supra allata confirmant atque clariora reddunt:

Miasma perfectissime in partibus, quæ multis nervis gaudent, sese evolvit, uti v. c. in genitalibus[2]).

Sic ratio intelligitur, cur sub finem sæculi decimi quinti post primam morbi eruptionem cutis sæpissime afficeretur, cum ob vulgarem balneorum calidorum abusum admodum sensibilis facta fuisset[3]).

Hanc ob rem multæ constitutiones minore facilitate ac alii lue corripiuntur, quoniam casus

1) cfr. *Hunter* on the vener. disease p. 327 "of the symptoms", ait, "of the second stage of the lues vener. must be observed, that this stage of the disease is not well marked as the former and, as it is of more importance, it requires all our discernment to determine what the disease is" et philosophy of Medic. Vol. V. p. 408 "Hunter conceived that the secondary stages were not distinctive marks of syphilis, perhaps another disease".

2) vid. *Walch* l. c. p. 104.

3) vid. ibid. p. 106.

dantur, in quibus plures, alter post alterum, coitum cum una eademque impura celebrarunt, et solummodo unus vel nonnulli infecti sunt, aliis plane evadentibus [1]).

Ideo reliquiæ morbi diu in corpore latere possunt donec data occasione i. e. omnibus, quæ sensibilitatem afficiant, excitentur.

Eandem ob causam miasma lentius vel citius suos effectus exserit. Interdum enim mox infectio percipitur, interdum post plures dies, septimanas, immo post menses primum symptomata sese exserunt [2]).

Natura syphilidis corpus initio infestantis sic intellecta, optime videmus, cur quasi specifice in luem agat mercurius, atque certo et tuto ei medeatur. Hanc ob rem etiam venæsectiones sæpe levamen attulerunt, totum organismi nisum deprimentes, sed indicatio præsertim est, sensibilitatem, reactionem inhibere, et sic nisus naturæ salutares ad sanitatem redigere; phlebotomia autem vel subito omnem vim organismi reprimit, et sic facile nimis debilitans prorsus omnem reactionem necessariam tollere potest; vel, cum præsertim omnes san-

1) vid. ibid. p. 110.

2) Vid. *W. Deases* Heilart d. Lustſ. überſ. v. *Michaelis* 1790 Pag. 129.

guinis evacuationes contractilitatem compescendo e contrario sensibilitatem relative adaugeant, potius causa moliminum naturæ inutilium et depravationis morbi ita evadit. Sic quoque de reliquis debilitantibus, uti laxantibus, censendum est [1]). Hydrargyrum vero non toties datum quam in inflammationibus veris et magis conspicuis, scilicet utplurimum mane et vespere, sensibilitatem solummodo et aliquam reproductionis partem sensim reprimit, et sic causam minuit, cur natura haud se ipsa sanare valeat. Minime corpus hoc gradu debilitans, ut extra efficaciam reagendi ponatur; exortum igitur phænomenorum pathologicorum impediens, hyperincitationem et sic progressum morbi in pejorem statum cohibens, modo naturæ tempus dare videtur agendi, atque se ipsam vel eliminationibus vel aliis mutationibus sensim sensimque accedentibus curandi [2]); id quod in

1) cfr. *Jahn* l. c. p. 101, qui dicit, methodum antiphlogisticam desiderare syphilidem, sed antiphlogistica solita nimis debilitare.

2) Cfr. *Jäger* l. c. p. 299, 300 et 301. Sic quoque *Mathias* (the mercur. disease 1816) censet, mercurium miasma venereum haud delere, sed modo supprimere et agere morbi progressum cohibendo, quod autem dicit fieri majore metalli incitatione. Cfr. quoque *Jahn* l. c. p. 85 dicentem, ad evacuationem miasmatis venerei nil tribuere hydrargyrum, sed naturam id per organa secretoria perficere.

plurimis aliis morbis, non vero in syphilide, cujus miasma nimiam, ut dictum est, reactionem, nimiumque nisum ad productivitatem abnormalem excitandi [1]) vi gaudere videtur, valet. Hanc ob rem quidem haud improbabile est, luem methodo solita antiphlogistica vere, quamquam lentius sanari posse [2]).

Si usus mercurii aliquot dies, antequam suos effectus antisyphiliticos exseruerit, differtur, symptomata iterum exoriuntur [3]). Nonne hæc observatio nostram opinionem confirmat, siquidem tum haud reactio sufficienter deprimitur et in mora adhibitionis remedii novas vires recuperat?

Ita nobis elucet ratio illius effati auctorum, mercurium non sanare, nisi in corpore præsens sit venenum i. e. si localis morbus modo sit

Vid. quoque Philosophy of Medic. Vol. V p. 598 "we are adopted to suppose with Mr. Hunter that mercury cures this disease by exciting a new action in the system in consequence of which the syphilitic one is suspended, and this suspension being continued for a sufficient lenth of time, the whole of the virus from the change which the fluids naturally undergo, is at last completely expelled from the body".

1) cfr. *Hegewisch* l. c. p. 97.

2) vid. *Thomson* in Rusts Magazin 1819 1stes S. Pag. 130.

3) cfr. *Howard* prakt. Bem. üb. die Lust. 1790 2te Th. Pag. 35.

nam tunc sensibilitas incitata cum reproductivitate certo loco derivata haud aucta, potius in reliquo corpore minuta observatur; et porrectus mercurius non tantam efficaciam exserit, cum sensibilitatem adauctam nonnisi in quadam parte inveniat, mederi tamen potest, cum præter exaltationem in certa parte manifestatam sensibilitas cum reproductione tanto vigore adesse possit, ut quoque in reliquo corpore phænomena morbosa producere queat. Hanc ob rem quidem mercurialia, modo externe applicata, eos modos localiter deprimentia, sæpe sufficere possunt, sed tamen securius agitur, si interne simul adhibentur, quibus etiam, si incitati adhuc præsentes in cætero organismo sint, et localiter et universaliter moderantur et sic via ad sanationem plenariam sternitur.

Illa mala localia si venenis sensibilitatis, uti aqua frigida, saturninis, mercurialibus absque interna medicina tractentur, sensibilitas quidem in loco ipso deletur et malum locale evanescit; sed cum illa abnormali copia adsit, ad alium et forsan difficiliorem sanatu locum convertitur novasque turbas producit; interna vero et externa talia hujus momenti vitæ venena adhibendo, optimum effectum necesse est ut habeat cura.

Quod magis in lue venerea est utile hydrargyrum, quam in aliis similis naturæ molestiis forsan quoque ex hoc derivari potest, quod partes generationes et glandulas præsertim infestat morbus, in quibus maxima reproductio et sensibilitas sedem habent, ubi sese accumulare amant, et in quas igitur primario agere potest mercurius [1]).

Ita declarare possumus, cur, quando syphilis destructiones excitat a primariis symptomatibus admodum differentes, atque in quibus character productivitatis morbosæ nimis agilis exstinctus est, mercurius haud sanet, sed necesse sit, ut primum productivitas bona nutritione, medicamentis roborantibus, uti martialibus, cortice peruviano, ad certum gradum augeatur, et ulcera in statum inflammatorio similem redigantur.

Propter hanc differentiam, quam ab initio mali per omnes progressus usque ad ultimum stadium observamus, intelligitur exortus numeri medicamentorum antisyphiliticorum, quæ aut incitando aut chemice agunt, et vel modo curam sustentant, vel effectus mercurii nocivos diminuunt [2]). Sic acida post usum mercuria-

1) Cfr. *Jäger* l. c. p. 294.

2) Vid Hufelands System d. p. H. 2ter Th. P. 417.

lium in progressu morbi reproductionem emendant [1]); sic guajacum et sassaparilla reactione depressa, forsan evacuant [2]); sic incitantia, uti ammonium et alia, utilia esse possunt lympham coagulatam in decursu luis resolvendo, atque ut diaphoretica, quæ sæpe ad præparationem et celeritatem curæ requiruntur. [3]) Sic opium forsan, et modo metalli simili, et quia ut antispasmodicum eliminatoria aperit et diaphoresin promovet, efficaciam exserit [4]); quo modo forsitan etiam sæpe reliqua narcotica, uti belladonna, hyoscyamus etc. agunt. [5]) Convenire sæpe possunt illa remedia, antivenerea appellata, post usum antecedentem mercurii et symptomatibus nonnullis persistentibus, quia, reactione, sensibilitate per miasma syphiliticum augmentata ope metalli minuta, forsan per alvum, vel diuresin vel alio modo evacuationes producunt, quæ haud in intervallis curæ occurrerunt, et tamen

1) Vid. ibid. p. 418.

2) Cfr. *Howard* l. c. p. 65.

3) Vid. *Horne* l. c. pag. 184, qui p. 176 negat, ammonium propriæ lui mederi posse.

4) Cfr. Richters Biblioth. 9ter Bd. P. 672.

5) Cfr. *Hufeland* in neueste Annalen der französischen Arzneyk. u. Wundarzk. 1ster Bd. 1791 P. 186.

sæpe, ut humores per morbum vitiati eliminari possint, desiderantur. [1])

Usu diuturno mercurius suas vires medentes in lue venerea amittit [2]); nonne hoc demonstrare videtur, quod mercurius modo vim morbi supprimat atque cætera naturæ relinquat, quæ si non agat, morbus perseveret?

Haud in certamen nos committentes, utrum blenorrhæa post coitum impurum ut syphilitica putanda sit an non, bene ita explicari potest, cur, quamvis venereæ indolis, sine mercurio sanari possit; nam gonorrhoea producitur, quando sensibilitas per miasma vel localiter exaltatur, vel urethræ determinatur; [3]) ubi, cum via eliminationi materiæ secretæ per reactionem productæ commoda sit, sensim sensimque se ipsa consumit, et se ipsam curans malum tollit, exemplo menstruorum, propter sensibilitatem foeminæ adauctam utero et vaginæ determinatam fluentium et ob spontaneam illius consumtionem quoque sponte cessantium. [4]). Si sensibilitas ægroti autem notabilis est, et ob diuturnitatem consuetudinem capit urethram petendi, blenor-

1) Vid. cæterum infra.

2) Vid. *Hunter* Abh. von d. ven. Krht. P. 587.

3) Cfr. *Vogel* l. c. p. 71, ubi dicit, gonorrhoeam reactionem esse in organismo miasma evacuandi.

4) Cfr. *Jäger* l. c.

rhoea chronica fit, sicuti quoque in foeminis, quarum sensibilitas abnormalis est, menstrua solito citius et majore copia redeunt, vel fluor albus supervenit. Quodsi jam illa blenorrhoea adstringentibus, causticis, etc. tractatur, localis quidem affectio evanescit, sed causa hujus, sensibilitas adaucta, haud cessat; hanc ob rem ad alium corporis locum se convertit multaque phænomena morbosa producit; sic quoque et non per migrationem humorum declarari debet consensus inter scabiem retrogressam et inflammationes nobiliorum partium, inter hæmorrhoides suppressas et apoplexias, inter menstruorum repressionem et hæmoptysin.

Quomodo quoque morbus, quem mercurialia ob abusum producunt, maximam habeant similitudinem cum lue venerea, et cur symptomata difficillime a se invicem discerni possint, sic maxima cum evidentia enodare valemus. Annotandum est, solummodo ultimum luis stadium esse, quocum referat convenientiam morbus mercurialis, cum in hoc stadio et in hoc morbo debilitas maxima adsit, humores sint resoluti, et in utroque malo roborantia incitantibus juncta indicentur; sic quoque quoad hunc morbum corruunt sententiæ *Hahnemann* in ejus novo

organo medendi expositæ, cum quidem e contra in hoc syphilidis stadio, quod simile sit molestiis a nimio mercurialium usu provocatis, mercurialia haud congruant [1]). Et necesse est, ut hæc similitudo adsit, quamvis diversa via diversoque modo eveniat. Lues venerea talis, ut audivimus, evadit, quia sensibilitatem et reproductionem nimis intensas maxima necesse est ut sequatur asthenia, mercuralia vero directa via debilitatem horum momentorum atque ita totius organismi afferunt; sic natura utriusque morbi eadem evadit, eodemque modo contra utrumque certandum esse videtur.

Ita quidem, quando cum scorbuto vel alio reproductionis morbo complicata est syphilis, difficilis est curatu, quia mercurius, illius efficax remedium, scorbutum et illos morbos depravat.

Balnea calida, quæ sæpe usui mercurii præmittuntur, [2]) haud solum calorem præternaturalem leniunt sed vasa cutanea aperiunt, et sic

1) Vid. *Hunter*, *Schwediauer*, *Howard* l. c. et plures, qui de lue venerea scripserunt. Admodum improbabile igitur loquitur *Schmidtmann* (in Hufelands J. d. p. H. 14ter Bd. 2tes St.) unicum, quod usum mercurii in inflammationibus contraindicare possit, esse, quod is ipse inflammationem producere queat. vid. *Jahn* l. c. p. 130.

2) Vid. nostri cl. *Bang* prax. med.

naturam sustentant, si per hanc viam excretoriam postea, vi morbi mercurio sedata, se ipsa sanare studet.

Illa laxantia, antiquo tempore in lue laudata, vere aliquid commodi afferre poterant; nam, alvum fortiter subducendo, subito organismum debilitant; sed cur haud tam salutaria quam hydrargyrum esse possint, supra annotavimus.

Si refrigerio exponitur corpus, rheumatismi, arthritis, aliæve molestiæ diu vexare possunt ægrotum, quia tunc forsan per cutem agere voluit natura, sed per infrigidationem corporis impedita est.

Hanc ob rem in mercurio porrigendo simul adhibenda sunt mundificantia, præsertim theæ diluentes, ut eodem tempore, quo reactio deprimatur, humores attenuari et corrigi possint, atque sic natura melius sustineri.

§ 38. His expositis quoad usum mercurii respondent sequentia:

1. Sub notabili inflammatione vena secanda et solita methodus antiphlogistica instituenda est.

2. A dosibus parvis incipiendum est, [1]) cum sensibilitas major minorve et sufficiens metalli

1) Vid. *Ontyd* in Journal der ausl. med. Litt. 9ter Bd.

copia haud prævideri possit, nec sciri, num ægrotus mercurium ferre possit necne.

3. Mitiora præparata primum porrigenda sunt. [1])

4. Cum maxima circumspectione adhibendus est, in quibus dispositio adest ad hæmorrhagias, in accessu menstruorum, sub fluxu hæmorrhoidali, in gravidis et lactantibus, in hystericis et senibus; [2]) nam in omnia hæc sensibilitas maximum influxum habet, cujus actiones si turbentur, multæ molestiæ oriri possunt; apud senes sensibilitas admodum debilitata est, ideoque cautio a talibus remediis, quæ adhuc magis eam diminuant, haud mira est.

5. Cum præparatis alternandum est, dum receptivitas uno sæpe obtunditur, et consuetudo vim ejus salutarem tollit, quam ob rem quoque dosin semper augeri jubetur. [3])

6. Cessatio symptomatum haud continuationem excludit porrectionis.

7. Si debilitas musculorum adest, bene usus conjungitur cum amaris, martialibus etc. [4])

1) Cfr, *Voigtel* l. c. et Walch ausführliche Darstel. &c.

2) Vid. ibid.

3) Cfr. Hufelands System d. p. H. 2ter Th. P. 430.

4) Vid. *Voigtel* l. c, p. 295.

8. Omnia digestu difficilia, salina, pinguia, acida, spirituosa, sub cura vetanda sunt; sub valde plethorica constitutione ad congestiones disponente serum lactis simul bonum est; in statu admodum sthenico Venæsectiones institui, si male nutritum est corpus, alimenta magis nutrientia dari debent. Præsertim respiciendum est ad calorem æqualem, et transpirationem liberam. [1])

9. Nimis fortes evacuationes per alvum, quæ vim mercurii infringunt, sedandæ sunt.

10. Si, quod raro tamen accidit, pressio et dolor oculorum, molestiæ amauroticæ, tumor capitis superveniunt, mox seponendum est hydrargyrum. [2])

11. Si tractandi sunt, in quibus, viribus usu mercurii depressis, symptomata venerea supersunt, primum roborantia et incitantia, uti vinum, china, in usum trahi debent. Præsertim in censum venit dispositio ægroti ad phthisin, febrem hecticam et scorbutum, ut morbos reproductionis, dum in magna cachexia plane indicatio mercurii cessat. [3])

1) ibid.

2) ibid.

3) Vid. *Hufeland* l. c. p. 421.

12. Omnia remedia cætera, quæ ut surrogata mercurii commendata sunt, modo, ut jam diximus, aut viribus incitantibus aut mixtionem humorum chemicam mutantibus statum emendare videntur, nec sanare valentia ut remedia, quæ curam per hydrargyrum sustentent, habenda sunt; quæ ita adhibita aut eam accelerant, aut possibiles effectus metalli nocivos diminuunt. Sub porrectione mercurii multa vires metalli augent, vel dolores, spasmos, evacuationes diversas corrigendo, vel in malo inveterato cum organismo vires communicando, quæ requiruntur, ut mercurius suam actionem salutarem exserere possit; post curam mercurialem autem ad anomala efficaciæ organismi, præsertim vero reproductionem, in melius mutanda adhibentur. [1]) Ita cum mercurio combinatur rad. sassaparillæ, si efflorescentiæ aliæve acrimoniæ adsunt; porrigitur simul dulcamara, vel aconitum vel cicuta, in rheumatismis venereis, et doloribus osteocopis; mezeræum, nux juglans et astragalus exscapus in tophis et carie ossium, hyoscyamus et opium in ægrotis, majore sensibilitate præditis, [2]) acidum nitricum apud quos

1) Vid. *Hufeland* l. c. p. 418.

2) Vid. supra.

nimia mercurii copia adhibita est, in scrophulosis, atque sic porro. [1])

13. Quamquam annotatum est, mercurium præsertim luem primariam sanare, tamen casus postea intervenire possunt, ubi vasa absorbentia incitanda sunt, et ubi igitur etiam hoc respectu salutaris esse potest. In inveterato autem malo fortiora præparata conveniunt, uti sublimatus, præcipitatus ruber, [2]) mercurius nitrosus, ubi forsan eodem tempore, quo metallum sensibilitatem morbosam adhuc præsentem tollit et vasa absorbentia incitat, oxygenium contentum humores emendat et contractilitatem elevat. Quantum cæterum hæc regula therapeutica sententiam de virtute mercurii quasi specifica in luis initio confirmet, facile patet.

14. Quoad salivationem, utrum conveniat, mercurium usque ad hanc porrigere an non, haud ad nostrum pertinet scopum aliquid pro vel contra afferre; nos modo ad conjecturas supra propositas referimus, secundum quas igitur præsertim respiciendum est, utrum indicatio sit in vasa absorbentia agere necne. Ob hanc defi-

1) Vid. *Ontyd* l. c.

2) Vid. noster cl. *Wendt* l. c.

cientem salivationem forsan fit, ut efficacia tam eximia sit curæ inunctionis, quam *Rust* et *Hufeland* laudibus ferunt, et quam ex eorum relatis præsertim mederi vidimus, ubi tumores, extravasata vel alia torporis vasorum absorbentium signa adsint. [1])

III.

Usus hydrargyri in helminthiasi.

§. 39. Contra hunc morbum, infantibus tam molestum, mercurius eximios effectus præstitit, dum tamen a pluribus quoque ejus efficacia negatur, id quod sine dubio a tempore incongruo, quo datus est, et ab opinione de ejus actione habita dependet. Dissentiunt enim auctores etiam de modo, quo hic utile est argentum vivum; *Pasquali* [2]) credit, mercurium vel vermes interficere, vel eos fugare, vel quietos reddere; *Redi* [3]) experimenta instituit in lumbricis vivis et decocto mercurii atque illos enecari vidit; quæ autem ad hæc, quæ in corpore humano

1) Vid. *Rust* Magazin für die gesammte Heilkunde 1819. 1stes St. et Hufelands Journ. Marts 1819 P. 18.

2) Vid. comment. de reb. in scient. natur. et medic. gestis Vol. I. 1753 p. 241.

3) ibid.

illo ingesto contingunt, declaranda haud sufficiunt, cum vermes post porrectum mercurium vivi, nonnunquam mortui, interdum vel mixti excernantur, ut inde modo sequatur, esse eum remedium contra vermes admodum efficax; *Poerner* [1]) censet, metallum potenter viscidum resolvendo et motum peristalticum augendo agere; *Geischläger* [2]) putat, hydrargyrum hic ut purgans agere, cui sententiæ plures adstipulantur. Sed ut ejus actio nobis patefiat, considerandum est stadium, in quo præsertim ejus usus est probatus; quod est id, in quo magna abdominis sensibilitas cum febri intercurrente inflammationem prodit [3]); consideranda sunt causa et exortus vermium. Vermes observantur et occurrunt, ubi copiosa muci viscidi secretio exoritur, sæpe haud ei, quæ in angina membranacea locum habet, absimilis [4]), quorum productorum causa haberi debet inflammatio acuta vel chronica in intestinis [5]). Quid juvat, interrogat *Hegewisch*, anthelminthica, vermes interficientia, præcipere? ad causam respiciendum est,

1) Mat. med. 1762.
2) In Hufelands Journ. 10ter Bd. 3tes St. P. 168.
3) Cfr. *Hegewisch* l. c. p. 76.
4) ibid. p. 78.
5) ibid. p. 79.

hæc avertenda, secretio illius muci minuenda est; nam etiam hic magnus adest ad exsudationem nisus, etiam hic sensibilitas, talem semper muci formationem comitans [1]), domanda est. Quid mirum, si præsertim vermes, propter reproductionem abnormalem exorti, in infantibus occurrant, quorum reproductio prævigeat? Quid mirum, si remedium, uti mercurius, qui tanto gradu reproductionem compescat, in hoc malo tam utile et salutare sit? Jam *Baptista Burserius* [2]) opinatus est, vim mercurii in ea qualitate petendam esse, quæ humores in intestinis vermes nutrientes mutaret, et *Hecker* [3]) febrem verminosam cum pituitosa, a morbosa quoque muci secretione in intestinis originem habente, comparat. Hujus exortum minuit et delet, et sic morbo illi medetur hydrargyrum [4]). Ubi magna existit digestionis labes et chronicum est malum, forsan primum stomachica in usum trahere indicat morbus. Quod mitiora præparata hic præferenda sunt, sine dubio verum est, etiamsi non ob eam rationem, quam *Vogel* [5])

1) Vid. *Sprengel* l. c. T. III.
2) De anthelmint. argenti vivi facult. epist. 1753.
3) Kunst die Krhten zu heilen, 1ster Th. P. 178.
4) Cfr. *Hegewisch* l. c. p. 78.
5) l. c.

affert, quia mercurii sic principium destruens cum vivificante (pyrogas, Feuergas) conjungitur.

IV.

Usus hydrargyri in scrophulis.

§. 40. Etiam in hoc malo cum maxima utilitate in usum tractus est et trahitur mercurius; et, si, quid in morbo patiatur atque omnia illa symptomata molesta producat, examinamus, optime ratio utilitatis elucet. Non ad investigationem opinionis *Malfatti* descendentes, qui rachitidem et scrophulas duos sibi prorsus oppositos morbos habens, illam modo esse processum vegetabilem apud infantes abnormaliter prævalentem quasique continuationem vitæ foetalis, has vero a processu animali præeminente produci putat, in eo, quod pro oculis habemus et manifeste sese exserit, insistamus. Sive enim cum *Hegewisch* [1]) dicimus, inflammationem adesse in glandulis systematis lymphatici tumentibus, quæ secatæ massam coagulabilem caseosam prodant, productumque igitur existere simile ac in hepatitide et angina polyposa; sive cum pluribus [2]), vasa absorbentia extra actionem

1) l. c. p. 83.

2) Vid. *Jahn* l. c. p. 244.

ob nimiam sensibilitatem his inhærentem posita esse [1]) vel cum plurimis, inflammationem subsistere chronicam et multifarias productiones enormes: ex omni parte judicatus mercurius optimum sese manifestat, sensibilitatem et reproductionem morbosam compescens, simulque in vasa absorbentia atque totum systema lymphaticum agens, quod organa ad reproductionem pertinentia amplectitur. Sed cum indicatio non solum sit abnormalitatem productivitatis ad normalitatem redigendi, verum etiam debilitatem universalem vel mox vel postea tollendi et metallum nostrum modo primæ indicationi satisfaciat; patet, non solum per id infantem scrophulosum sanari posse, sed eodem tempore quæ digestionem promoveant et organismum roborent, adhibenda esse. Cum sulphur mercurio quandam vim incitantem tribuat et impediat, ne vel tam cito salivationem vel cætera sua symptomata producat, hujus conjunctio cum mercurio, uti sub forma æthiopis mineralis, hanc ob rem forsan tam salutarem sese præbet [2]); ut

1) Cfr. *Jæger* l. c. p. 211 et 249, qui hanc ob rem dicit accumulationem exoriri et in prima morbi periodo convenire vasa absorbentia incitantia cum usu venenorum sensibilitatis juncta (p. 215).

2) Cfr. *Jahn* l. c.

etiam sic bene intelligitur, cur cura necessario diuturna sit.

V.

Usus hydrargyri in febribus.

§. 41. Ut judicare possimus, num vere in febribus utilitatem aliquam præstare possit mercurius, quomodo actio explicanda sit, atque utrum adhiberi debeat an non, necesse est, ut, definitione febris in genere, quam cum parvo successu innumeri tentarunt, prætermissa, naturam febris consideremus. Et tunc quidem observamus initio omnium febrium sensibilitatem maxime exaltatam, quæ simul in systema sanguiferum agens, reactionem organismi producit, cujus formam maximi momenti et maxime vulgarem sistit febris [1]). Pulsus, qui in nonnullis febribus tardus et contractus observatur, magis a spasmo, a debilitate producitur atque

1) Cfr. *Sprengel* instit. med. T. IV. §. 10 p. 21 et §. 11 p. 22 "in nervis habitare febrem, sententia est omnium eorum, qui curiose et libere febrem indagarunt."
Hufelands Pathogenie P. 286.
Nasse in Horns Archiv Jan. 1818 P. 21 "das reine Fieber stellt uns, wenn wir von seinen entfernten Ursachen absehen, gleich einer reinen Nervenkrkht, nur eine Veränderung des Kraftverhältnisses."

etiam in talibus momenta dantur, in quibus pulsus acceleratur. Quæ sensibilitas si haud reactioni sufficit, receptivitas pro febre minuitur, et quæcunque tum causa et materia febrium agere potest, haud eam producens [1]). Sensibilitatis augmentum probant horripilationes, pulsus agitatus, cum deficiente vi (sc. contractilitate ob anthithesin), inertia omnium virium muscularium, quæ etiam effectus est contractilitatis per polaritatem depressæ, calor auctus, tumor et expansio sensibilis totius corporis. Ab omnibus his symptomatibus, sensibilitate aucta, reactione productis, secundaria, si haud cito congruis remediis progressus prohibetur, prorsus diversa sunt; vires vitales ob nimiam, haud moderatam, reactionem, deprimuntur; humores ob motum irregularem, temperaturam mutatam et ob secretiones et excretiones multifarias auctas, diminutas vel mutatas, aut inspissantur, aut attenuantur, aut aliam quamcunque mutationem, a pluribus diversisque rebus dependentem, patiuntur. Si autem reactio in febre bene et rite moderatur, multa nociva eliminantur atque justum æquilibrium cito restituitur. [2]) Indicatio igitur medico ad morbos, qui huc per-

1) Cfr. *Hufeland* l. c.

2) Cfr. nostri cl. *Bang* l. c. p. 27.

tinent, curandos est justum reactionis moderamen [1]), augmentum, si haud sufficit, et depressio, si nimia est, qua methodo coctio et crisis in febribus sequuntur [2]). Cum febris autem in permultis casibus medium sit, quo natura sibi ipsa medeatur, alia, quin etiam obstinacissima mala sanet, et sæpe haud ullo auxilio egeat, prudentia jubet, si salutaris est reactio, sibi ipsi talem relinquere et modo impedimenta ejus avertere.

§. 42. Quomodo ita hydrargyrum, quod sensibilitatem, reactionem deprimat, atque etiam in febribus porrectum sit et porrigatur, efficax esse possit in primo febrium stadio, quando præsertim nimia sese exserens reactio multas turbas minatur, bene patet; qnod quoque confirmatur effato auctorum [3]), quam citissime initio adhibendum esse metallum; sed an porrigi debeat, an necessarium sit remedium, jure dubitari potest. Hac occasione liceat conjecturam proponere quoad laxantia et emetica, quæ initio febrium data et effectum habentia,

1) Cfr. ibid. et Consbruchs klinisches Taschenb. 1ster Bd.

2) Cfr. *Hufeland* l. c. p. 261 et 262 et *Bang* l. c.

3) Cfr. *Falk* l. c p 162, laudantem mercurium in omnibus febrium speciebus, quem, dicit, omnibus indicationibus satisfacere, *fibrillas nerveas debilitando*, obstructiones tollendo et acrimonias corrigendo.

sæpe subito febrem sistunt et sanitatem restituunt. In multis casibus quidem illa remedia salutaria fieri possunt impuritates, aut causam remotam aut nutrimentum febris, in primis viis evacuando; sed cum sæpe mox levamen afferant et sæpe absque symptomatibus gastricis præcipiantur, nonne tum forsitan imprimis tantam efficaciam monstrant, sensibilitatem auctam, causam reactionis et febris, deprimendo atque ita viribus vitalibus aliam directionem tribuendo? Ita sæpe vomitus in inflammationibus mirificos effectus edidit, uti *W. Adams* tali processu ophthalmias subito diminui narrat[1]; ita sæpe quoque affectiones spasmodicæ magnæ violentiæ vomitu spontaneo, aut remediis producto, silent[2]. In tali febris nimia reactione quoque Venæsectio etiam corpus debilitando et sensibilitatem domando convenire potest; sed cum sanguine organismum privans symptomata inertiæ virium secundaria admodum augeat, non sæpe suadenda est. Hanc noxam, dicit *Falk*[3]), mercurius haud producit, sed refractio organismi modo hoc gradu fit, ut sensibilitate domata vis

1) Vid. *London* medic. repository Vol. II. p. 389.

2) ibid.

3) l. c. p. 164.

tonica haud in consensum trahatur. Licet magna ex parte hæc ejus verba nostram theoriam comprobent, tamen, cum depressio virium ulterior haud computari possit, et alia remedia usum mercurii hic superfluum faciant, raro in genere indicatus esse videtur mercurius. Sed postquam sic monstratum est, metallum quidem utile esse posse, et præsertim, in quo consentiant auctores, apud infantes[1]), ab hac disquisitione generali ad examinationem principalium febrium transimus, in quibus nominatim et præsertim ut bonum remedium laudatum est hydrargyrum; an forsitan natura cujusdam febris propria magis ejus applicationem indicet.

Febris inflammatoria.
(Synocha)

§. 43. Cum hæc reactione gravi et vi plastica aucta excellat, congrueret admodum mercurius, et quoque hic laudatur[2]), sed cum nisus plasticus non, antequam topicam produxerit affectionem, manifeste eluceat, cum alia remedia hic magna præstantia gaudeant, quamquam efficax esse possit metallum, haud tamen

1) Vid. *Müller* l. c.
2) cfr. *Falk* et *Rambach* l. c.

indicatum esse videtur. *Febris catarrhalis*, quam *Hecker* statum modice inflammatum in pluribus organis, secretioni materiæ serosæ mucosæ inservientibus, vocat, et contra quam multa medicamenta habemus, certe non postulat mercurium, licet concedamus, quod propter actionem utilis esse possit [1]).

Febris pituitosa.

§. 44 In hanc speciem, quæ sese singulari dispositione in toto organismo existente mucum, præsertim in tubo intestinali, deponendi exserit, et quam *Hecker* cum febri verminosa comparat, laudatus quoque est mercurius [2]). Ut ejus pretium judicare possimus, observanda duo sunt stadia hujus febris, cujus primum quidem reactionem ostendit organismi, et in quo adest nisus ad exsudationem, secundum stadium autem characterem manifeste nervosum secum affert, magis depressione virium insignitum; id quod etiam totius ægroti habitus probabilius facit. Si igitur in usum hic traheretur mercurius, esset quidem in primo stadio, ubi reproductio ad ab-

1) cfr. *Schäffer* in *Hufelands* Journal 37ter Bd. 1stes St.

2) cfr *Falk* l. c. *Grimaud* cours compl. de fic 1791 T. II. c III qui dicit mercurium hic salutarem esse ob analogiam cum lue venerea.

normalitatem tendit et morbosa sensibilitatis accumulatio ad primas vias locum habere videtur; sed cum hæc postea magis depressa inveniatur, et depositio muci morbosa originem a debilitate generali trahere videatur, vix adhibendus tum est; utilitas, quam tunc habet, derivanda est ab ejus vi laxante, qua colluvies mucosa evacuatur.

Febris intermittens.

§. 45. Etiam in hanc et antiquiores et recentiores [1]) commendarunt hydrargyrum atque etiam hic sensibilitas initio magnopere aucta est. Ratio, quod hæc vitæ efficientia in multis partibus debilitata apparet, sæpe in irritatione tunicæ mucosæ intestinorum et systematis vasorum quærenda est, emetica et purgantia non solum evacuando sed etiam sensibilitatem hanc deprimendo optimum levamen afferunt [2]), et hanc ob rem etiam alia, dicit *Jäger*, illa vi laxante haud gaudentia, prodesse possunt, dummodo sensibilitatem debilitent, uti ipecacuanha, ar-

1) vid. *Welsch* observ. med. ubi Ballonius primus hic hydrargyrum adhibuisse dicitur. *Schulze* de mercur. usu in febre quart. in *Haller* disp. pract. T. V. p. 108; *Selle* med clin. p. 655. *Hunter* Krhtn. der Truppen a. d. E. 1792 P. 189. *Falk* l. c. p. 200. *Ferguson* in med. chir. transact. Vol. II. 1813.

2) Cfr. *Jäger* l. c. 112.

nica, opium etc. Annotat ille porro, remedia contractilitatem excitantia in primo stadio non salutaria esse, cum haud absoluta debilitate laboret, sed relative ob sensibilitatem exaltatam depressa appareat; postea autem et interdum mox absolute hanc laborare et tunc chinam, martialia quoque convenire. Quomodo igitur mercurius in hac febre utilis esse possit initio, patet [1]), sed cum sine dubio majorem debilitatem relinquat, et dosis indicationi congrua difficillime judicari possit, cum anceps semper hic igitur sit remedium, in copia medicamentorum hunc prorsus superfluum et non necessarium hic judicamus. Quomodo autem in sequelas harum febrium, obstructiones viscerum etc. utilis esse possit, postea fiet mentio.

Typhus.

§. 46. Jam in hac febrium specie hydrargyrum adhibebat *Benevenuti* [2]), quod *Chisholm* [3]) cum effectu eximio porrexit; atque *Reil* [4]) id ha-

1) *Hecker* l. c. 1ster Th. p. 227 quodammodo sententiæ nostræ assentit, quando dicit, vim mercurii curantem hic fieri aut statum gastricum mutando aut novam concutionen in toto corpore producendo.

2) Diss. epist. ad cl. *Beccarium* 1714.

3) Vid. philosoph. of med. Vol. V. p. 48 seqq.

4) Fieberlehre 1ster Bd. Pag. 501.

bet optimum remedium in multis typhi casibus, probantibus multis auctoribus, exemplaque notabilia afferentibus [1]), et sane morbum illum contemplantibus, non mirum videtur, quod metallum hic tam utile sese exseruerit. Ad differentias autem typhi ejusque causas ratio habenda est. Si biliosis symptomatibus præsertim se insignit morbus, vel affectum est hepar, ob vim mercurii notabilem in hepar et bilem ejus utilitas optime intelligitur, sed sæpe febris cum manifesto synochi Cullenii charactere incipit [2]); afficit hæc corpus talibus symptomatibus, quæ mox probent, sensibilitatem morbose esse exaltatam, atque unde veniant inflammationes sæpe cum febri occurrentes; num igitur, si etiam haud inflammationem semper adesse cum multis contendere volumus, singularis est efficacia hydrargyri, vi antiphlotigistica notabili gradu, ut monstratum est, gaudentis et sensibilitatem præcipue compescentis? Hanc ob rem *Reil* [3]) id commendat præsertim in vehementioribus febris gradibus, ubi sensibilitas exaltata est, actiones acceleratœ, verum absque vi observantur, sed lo-

1) Vid. *Brefeld* l. c.; *Jahn* in *Hufelands* Journal 25ter Bd. 1stes St.

2) cfr. *Jäger l. c.*

3) l. c.

calis virium destructio ob nisus vehementes exspectanda est; hanc ob rem *Jahn*[1]) haud jalappam, ut per alvum, nec camphoram, ut per cutem agat mercurius, addere jubet, sed solum eum porrigi, ut suam ipsius vim libere exserere valeat; idcirco *Remer*[2]) eum laudat, ubi inquietudo et deliria adsunt, et *Schäeffer*[3]), ubi cætera antiphlogistica conveniunt. His consentiunt verba *Lohnes*[4]), præsertim conducere mercurium, quando naturæ inflammatoriæ febris sit, eum præsertim juvenes robustos sanare, rarius senes; hanc ob causam *Hecker*[5]) eum suadet, optimum in morbosa irritabilitate (sensibilitate) et febre minuenda atque haud debilitatem relinquentem. Eapropter quoque venæsectio cito instituta in typho sæpe optimas sequelas habet, dum per eam febris vasorum minor evadit, accessus inflammationum localium impeditur, affectiones cerebrales infringuntur[6]); sed cum contractilitas quoque hoc remedio depri-

1) Mat. med. 2ter Th. Pag. 28.

2) In *Hufelands* Journal 34ter Bd. 5tes St.

3) Ibid 37ter Bd. 1stes St.

4) Diss. inaugural. medic. chirurgic. de utilit. hydrarg. in febre typhode 1813.

5) l. c. Pag. 84.

6) vid *Horn* in Archiv für med. Erfahr. 1816 1ster Bd.

matur, haud semper bona, sæpe nociva reperitur; idcirco aqua frigida et aer frigidus purus, quoque sensibilitatem deprimentes, in febri putrida conducunt. Hanc ob causam emeticum forte sæpe optimum levamen afferre et mox fugare morbum potest ob rationem supra memoratum; idcirco pulsus antea celer per usum metalli mollior et lentior evadit [1]), hanc ob rem censet *Brüchmann* [2]) methodum antiphlogisticam in incremento magis ac incitantem esse suadendam; et *Horn* [3]) addit, mercurium dulcem in eodem stadio convenire.

Contraindicatum autem plane est hydrargyrum in hac specie quæ nutrimentorum defectui, timori et angori vel incitamentorum subductioni cuicunque originem debet, uti in ulteriori morbi gradu, ubi quoque sensibilitas in consensum ab inertia contractilitatis tracta est, et quando jam colliquatio humorum adest [4]).

1) Vid. philosophy of med. Vol. V. p. 69.

2) In *Horns* Archiv l. c.

3) vid. ibid.

4) *Hildebrand* (vid *Heckers* Annalen 2ter Bd. Pag. 167) mercurium plane dissuadet, sic loquens: Ich habe das Quecksilber einigemal gegeben, gebe es aber nie wieder; Nutzen habe ich niemals davon gesehen; Nachtheil machmal: specifisches hat es in dieser Krht gar nichts.

Cæterum, cum etiam oporteat nostram sententiam quoad hanc rem ferre, mercurium in hac febri anceps et sine dubio haud necessarium remedium esse opinamur.

Febris flava tropica.

§ 47. Idem fere dici potest in hoc morbo de usu hydrargyri, quod *Rusch* et *Clark* hic commendant, quodque *Chisholm* contendit esse remedium contra hanc febrem unicum, in quo plures consentiunt [1]). Initium febris vere valde simile est symptomatibus præcedentis morbi, effectibus quoque sæpe iisdem, dum *Rambach* [2]) dicit, febrem jam esse inflammatoriam, jam putridam, jam putrido-nervosam. *Palloni* [3])

Meistens mittelst der hervorgebrachten Abdominalsalivation einen Durchfall, oder vermehrt den gegenwärtigen, wovon ohnehin, besonders im nervösen Zeitraum des Fiebers viel Unheil entspringt. Ich würde es ebenach im entzündlichen Zeitraum für unschädlich erklären. Wie nachtheilig es übrigens auf die Beschaffenheit der Säfte einwirken müsse, läßt sich eben so leicht einsehen als sich das Gefährliche eines dadurch herbeygeführten Speichelflüsses leicht beurtheilen lässt. *Hecker* autem annotat, omnes illas noxas haud metuendas esse, si medicus remedium adhibere intelligit.

1) vid. *Lind* l. c. *Currey* kurze Nachricht von dem bösartigen Fieber, welches kürzlich in Philad. grassirt 1794.

2) l. c.

3) In Journ. d. ausl. med. Litteratur 3ter Bd. Pag. 132 vel medicinske Bemærkninger over den i Livorno herskende Feber, oversat af Scheel 1805 Pag. 25.

annotat, in morbo, ubi vires vitales tam cito consumantur, roborantia indicata esse videri, sed experientiam contrarium docere, cum effectus hujus contagii manifeste incitans sit, et hanc ob rem robustos infestans necessario statum sthenicum excitet. Hoc autem ad primum febris stadium restringendum est, in quo eadem se ipsa consumens reactio, eadem sensibilitas adaucta supponenda sit, quæ vero citius eandem ob rationem in debilitatem et depressionem virium transeat. Hanc ob rem in debilibus characterem et decursum lenem exserit, dum robusti et juniores vehementer ea corripiuntur et utplurimum succumbunt[1]); eapropter observationibus patris dilectissimi, qui per plures annos munere medici practici in India occidentali functus est, semper pluvia tempestate superveniente vehementia febris in suo incremento valde diminuebatur, utpote cum negativa electricitas, quæ vim habet sensibilitati infestam, eamque deprimit, in pluvia prævaleat; et hanc ob rem semper nocet mercurius ubi magna debilitas adest[2]). In eodem stadio quidem ve-

1) vid. *Pugnet* in Journal der ausl. med. Litt. 1804 2ter Bd. Pag. 7 et "Geschichte des gelben Fiebers in Spanien ibid.

2) vid. Journ. d. ausl. m. L. 2ter Bd. Pag. 165.

næsectiones, quæ etiam sæpe utilitatem habuerunt, efficaces sese præstiterunt [1]), ut etiam laudata balnea frigida; in eodem stadio pater meus refert, se mercurium magnis dosibus simulcum crebra aquæ frigidæ in ægroto adspersione cum eximio effectu, quamquam sæpe etiam sine utilitate, forsan ob nimis seram applicationem, adhibuisse. His quoque consentit *Fischer* [2]), qui dicit reactione in hac febri incitata, propter quam se ipsam suffocantem postea desorganisationes et gangræna facillime exoriantur, humorum motum promoveri eorumque sic chemicam cum materia morbi mixtionem et incrementum febris fieri, hancque reactionem moderando evolutionem processus morbi etiam prohiberi; et eam ob rem primo initio venæsectiones jubet et hydrargyrum porrigit; in eodem stadio *Kausch* [3]) phlebotomiam, balnea frigida et mercurium laudat; cum quibus omnibus bene cohærent observationes *Palloni* [4]), initio metallum esse porrigendum atque modo in robustis et sanguinicis, dum apud debiles, scorbuticos et ubi jam in-

1) cfr. *Eymann* in *Hufelands* Journal 15ter Bd. 1stes St. et *Palloni* l. c.

2) Ueber die Natur u. Beh. des gelben Fiebers in *Hufelands* J. 21ter Bd. 4tes St.

3) ibid. 39ter Bd. 3tes St.

4) vid ibid. p. 23.

gravescat morbus, ubi hæmorrhagiæ, vomitus niger et alia talia sese manifestarint, malum depravet et mortem acceleret.

Cum jure autem suspicari possimus, hunc morbum præcipue in hepar agere, et secretionem bilis modo singulari et specifico mutare [1]), forsan etiam per actionem illam in hepar utilis hic esse potest mercurius, quam ob rem hypochondrio dextro illitus quoque optimum effectum monstravit [2]).

§. 48. In eodem illo stadio, eodem modo sine dubio mercurius conducit in *peste* [3]), cujus symptomata etiam initio haud a typhi et febris flavæ differunt, et sensibilitate et reactione vehementissima sese exserunt. Cæterum ratione quomodo mercurius hic agere possit, explicata, peritioribus relinquo dijudicandum, utrum adhiberi debeat in his morbis an non, ac utrum ut eximium remedium in his putandum sit necne.

1) vid ibid. p. 28.

2) vid. *Palloni* l. c. pag. 30.

3) vid. *Grimaud* l. c. C. III. *Giongirs* diss. de empiric. remed. in *Haller* diss. pract. T. VII p. 1 - 134. *Schreiber* cogitata de peste, qui hydrargyrum propter pestis analogiam cum syphilide laudat. *Falk* l. c. p. 202, qui dicit, Londinum ob usum mercurii frequentem haud a peste unquam corripi.

Febres exanthematicæ.

§. 49. Contra omnes tres earum species principales, sc. febrem variolosam, scarlatinosam et morbillosam porrectus est cum bono levamine mercurius; et igitur etiam oportet has examinare, ut actionem theoriæ nostræ consentientem hic quoque eruere possimus.

Febris variolosa.

§. 50. Jam *Helmont*[1]) et post eum *Andreas Buxbaum*[2]) opinabantur, e mercurio et antimonio remedium præparari posse, quod "materiam variolosam destruere valeret". *Buxbaum* sic loquitur: "mens *Helmontii* est, ut spretis crisibus non sine tædio a medico et patiente exspectatis, morbum aptis remediis in primo statim principio profligemus et sic in prima, ut dicitur, herba obtruncemus, ne altas agat radices", et ad finem: "hisce nunc tam mercurialibus quam antimonialibus medicamentis legitima methodo succurrendum censemus variolis metuendis; ab his enim harum fomes ob summas, quas habent penetrandi corporis intimos recessus, dotes exstinguitur, certe sine criseos, i. e. ulcusculorum

1) Tract. de temp. §. 54.

2) disp. de variol. hactenus in patria grassatis 1679.

s. ipsarum variolarum critica evacuatione a natura protrusarum, metu secundum laudati Helmontii effatum evanescet". Hanc sententiam *Boerhawe* adsumsit [1]), et sequebantur plures, qui hydrargyrum partim contra variolas præservare, partim vere eis mederi contendebant. *Lobb* [2]) censebat, per mercurium variolas prorsus ab eruptione impediri; *Hoffmann* [3]), sententiis contra ejus usum refutatis, eum laudat propterea quod humores corrigat, numerum pustularum minuat et molestias a vermibus in hoc morbo tollat. *Letsom*, *Lentin*, *Ingenhous* et recentioribus temporibus præcipue *Hufeland*, *Hildebrand* et *Reil* mercurio vires eximias in variolis tribuunt, dum *Hufeland* putat, in eo vere vim miasma variolosum destruendi hærere, *Hildebrand* infantibus per plures hebdomades ante infectionem eum porrexit, bonum successum observans [4])

Si vel obiter morbum hunc antea atrocissimum consideramus, elucet etiam in hoc sensibilitatem adauctam, reproductionem extra limites vagari, præternaturalia producta gignen-

1) Aphor. 1392.
2) Treatise on the small pox.
3) Hoffmanns Schriften 1ster Th. 1790 Pag. 514.
4) vid. *Jahns* mat. med. 2ter Th.

tem [1]). Ita comprehendimus, cur præsertim infantes vel saltem juniores semper corripiat morbus, et in iis maxime letalis evadat; ita rationem intelligimus, cur temperamentum laxum melius quam strictum [2]) variolas sufferat; ita, cur præservativus in hoc malo esse possit hydrargyrus [3]), qui sic sensibilitatem, receptivitatem pro ejus affectione minuat; cur vere per antecedentem ejus usum ob reproductionem jam domatam numerus pustularum diminuatur, et usu temporario "variolæ vel paucissimæ vel nullæ sequantur" [4]); cur morbus per ejus applicationem benignus et brevior fiat [5]); quomodo materiam vaccinationis vi sua privet, ejusque evolutionem impediat, et evolutam debiliorem faciat [6]), cur præcipue in prima periodo quoque hic conveniat [7]) et cur *Reil* sæpe venæsectiones

1) vid. *Hegewisch* l. c. p. 99.

2) vid. nostri cl. *Bang* l. c. p. 100.

3) vid. supra et *Hecker* in *Hufelands* Journ. 1ster Bd. Pag. 365.

4) vid. van *Swieten* commment. ad aphor. Boerhawii Vol. XVIII.

5) vid. *Fowler* de method. medendi variolis, præcipue auxilio merc. etc. 1800.

6) vid. *Sacco* med. chirurg. Zeit. 1815, 2ter Bd. et *Selig* in *Hufelands* J. 16ter Bd. 1stes St.

7) cfr. *Fowler* l. c.

mercurio præmitteret. Sic *Desessartz* [1]) proponebat, in epidemiis et ante inoculationem hydrargyrum infantibus præcipere, quo variolæ pauciores et magis benignæ evaderent. Ita *Fowler* [2]) dicit, præcipuam indicationem in variolis esse copiam materiæ variolosæ minuere et reactionem systematis minuere, quibus indicationibus putat evacuantia, diaphoretica et mercurium dulcem satisfacere; sic *Rambach* [3]) mercurium hic ut specificum inflammationes locales compescentem et reactionem systematis deprimentem agere opinatur; atque ita haud adhibendus est in ulteriori gradu, in variolis confluentibus [4]), aut quando putrida dissolutio adest humorum [5]).

Febris scarlatina.

§. 51. Etiam contra hanc plures, præsertim medici in Anglia et America, mercurium adhibuerunt uti *Rusch* [6]), *Withering* [7]), *Kirkland*,

1) Memoir. de instit. nation. desscienci. et arts, scienc. mathem. et phys. T. III.
2) l. c.
3 l. c.
4 cfr *Hegewisch* l c.
5) vid. *Hoffmann* l. c.
6) Med. Beobacht. 1792 P. 169.
7) An account of the scarlet fever etc. 1779.

Huxham, *Bailey*, *Rugden*, *Douglas* [1]. *Hufeland* [2]) eum hic laudat, quando systema lymphaticum quasi paralysi correptum est, et *Kreysig* [3]) vim ejus in hanc febrem ex ejus actione in hepar declarat [4]). Cum hic morbus characterem eundem sibi impressum ac antecedens habere videatur, quamvis nec vi nec sequelis tam periculosus aut insignis sit; quæ jam dicta sunt hic applicari posse credimus. His etiam consentire videntur *Kreysig* [5]), qui mercurii usu exanthema evanescere et exsiccari vidit, *Selig* [6]), qui etiam ut præservativum metallum laudat, *Müller* [7]), qui præcipue ejus utilitatem sub febri admodum vehemente conspexit, et *Thuessink* [8]), qui affirmat, in epidemia scarlatinosa omnes, quibus mercurium dulcem ad gr 1 β cum sulphure aurato Antimonii mane et vespere præcepisset, infectionem evitasse.

1) Vid. Hufelands Journ. 16ter Bd. 1stes St.
2) Vid. ibid. 12ter Bd. P. 85.
3) ibid.
4) Vid. quoque Gesner Saml. von Beob. 4ter Bd. Pag. 176, et Henke Handb. der Kinderkrhtn 1818; 1ster Bd. P. 417.
5) l. c. p. 164.
6) Vid. Hufelands Journ. 16ter Bd. 1stes St.
7) l. c.
8) Iets over the voor behoeding van the Roodvonk 1818 pag. 18.

Quoad *febrem morbillosam* [1]) eadem valere debent, rari autem videntur esse casus, in quibus urgenter indicatur hydrargyrum.

VI.

Usus hydrargyri in tetano.

§. 52. *Riverius* [2]), *de la Roche* [3]), *Monro* [4]), *Duboueix* [5]) et plures mercurium hic applicarunt, atque exempla notabilia ejus efficaciæ reliquerunt; præsertim vero *Walther* [6]) in censum venit, qui omnem operam dedit naturæ morbi explicandæ et vi mercurii pluribus argumentis corroborandæ. Prætermittimus refutationem opinionis *Rusch* [7]), qui putat, causam tetani prædisponentem esse atoniam, eumque curandum esse statum inflammatorium producendo, et hanc ob rem mercurium bonum esse, qui in ore inflammationes et dolores excitet; cum vix necesse sit, examinare, num aliquem spe-

1) Vid. *Müller* et *Hamilton* l. c.
2) observ. communicat. No. 10.
3) In Journ. de med. T. 40 p. 213.
4) Neue edingb. Versuche 3ter Bd. No. 30-31.
5) In Journ. de med. T. 42 p. 215.
6) l. c.
7) Mem. of the medic. society of London 1787 Vol. I.

ciem habeat necne, et ad dissertationem *Walther* properamus, cujus liceat afferre compendium. Credit ille, magnum consensum esse inter naturam tetani et hydrophobiæ, communem systematis nervosi mutationem in utrisque suspicari licere, dum uterque morbus constrictione spastica in musculis pharyngis et laryngis, voce alienata, spasmo musculorum faciei, mox quoque extremitatum, tum thoracis et abdominis et denique diaphragmatis et cordis incipiat, in tetano sæpe hydrophobia vera atque in hydrophobia verus trismus observetur, uterque et per idem temporis spatium æque letalis sit; quam similitudinem etiam assumserunt *Nugenb*, *Vaughan*, *J. P Frank*, *Stütz*, præsertim *Percival* [1]) et multi plures. Porro sic loquitur: Spasmus contractio est, et atoniæ, laxitati oppositus; impeditus spiritus nervei et sic voluntatis transitus in organon mobile naturam spasmi efficit, et omnes ægroti, saltem juniores, quique non antea morbo hectico aliove laboraverint, tetanici moriuntur, quoniam tum imperium systematis nervosi sublatum est et diversa corporis organa sponte agunt, id quod præsertim in musculis manifestatur. Opinioni semper faverunt medici,

1) Essays II p. 566.

morbos spasticos, tetanum et hydrophobiam, naturæ inflammatoriæ esse. In hydrophobicis demortuis inflammatio faucium sæpe observatur et *Fothergill* [1]) crustam phlogisticam in sanguine invenit; saltem primum stadium inflammatorium est, uti in omnibus morbis contagiosis. Causæ occasionales tetani eædem sunt ac inflammationum gravissimarum v. c. animi pathemata, calor notabilis etc., quam ob rem quoque crebrius in regionibus calidis occurrit. *Causa symptomatum vehementium tetani et hydrophobiæ inflammatio est in systemate nervoso;* haud vero omnia solita symptomata in inflammatione nervorum observari possunt propter heterogeneam nervorum et vasorum sanguiferorum naturam, atque calor, rubor, et tumor haud magnum gradum attingere valent, modo dolor gravissimus est. Etiam in tetanicis cum habitu cachectico inflammationes postea observatæ sunt. Qui trismo corripiuntur utplurimum fortes, bene constituti et musculosi sunt, et apud robustos morbus citissime letalis evadit. *Reproductio ad materiam plasticam formandam admodum intensa est;* tetanus admodum similis est aliis molestiis acutis, præsertim febrilibus, quoad exortum, quali-

1) Lond. medic. Verf. 4ter Bd.

tatem aëris et constitutionis, causas occasionales etc., quam ob rem haud ut pure spasticus habendus est morbus; in universum omnes morbi, qui certis temporibus epidemice regnant, quique a certis aëris mutationibus, a gradu caloris et humiditatis, tensione electrica etc. exoriuntur, aliquid inflammatorii in se continent. Natura autem tetani inflammatoria præsertim a sæpe comitante synocha elucet. Initio trismi et tetani antiphlogistica indicata sunt, et multi in tetano venesectiones, hirudines, scarificationes cum bono levamine jubent; remedium *principale* autem in his morbis est *mercurius* partim etiam ob vim ejus antiphlogisticam.

§. 53. Sive hanc sententiam celeberrimi viri sequimur, inflammationem nervos in tetano pati, sive opinionem a *Jäger* propositam [1]) assumimus, qui dicit, sensibilitatem ab externa superficie corporis ad interiora organa conversam et sic liberam in peripheria contractilitatem redditam esse, mercurius, tanta vi in nervos agens, efficax esse potest. Certum esse videtur, in nervis causam morbi proximam hærere, quod non solum dolores gravissimi, sed totus ægroti aspectus et causæ probant, et hanc ob rem tetanus fre-

1) l. c.

quentior est morbus apud incolas regionum calidarum sensibiliores et in genere crebrior in individuis sensibilibus e. g. in neonatis [1]. Utrum igitur mercurius per vim suam antiphlogisticam supra explicatam tam utilis in tetano sit et per atoniam et debilitatem, quas producit, spasmum inflammatorium sedet [2], an præsertim insensibilitatem ad interiora organa derivatam agens æquilibrium justum restituat et sic morbum tollat, minus refert scire, cum nobis modo cognita sit magna mercurii in nervos et sensibilitatem vis, quam ob causam vis antispastica a *Plenk*, *Moscati* [3] et pluribus mercurio adscribitur. Ob hanc quoque vim sensibilitatem deprimentem opium eximios effectus in hoc morbo exserit; eapropter immersio subita et repetita totius corporis in aquam frigidam mire profuit [4], quæ etiam venenum sensibilitatis est, uti e lavatione cum aceto frigido bonum levamen observatum est [5]. Sed cum auctores in eo consentiant, nullum ex his remediis secure et certo mederi, nec

1) Cfr. *Jäger* l. c. p. 101.

2) Vid. *Lind* in Saml. auserles. Abh. 12ter Bd. P. 95.

3) Vid. Journal der ausl. med. Litt. 8ter Th.

4) Cfr. *Callisen* chirurgia 1815 T. I. p. 189.

5) Cfr. ibid.

nobis explicaverint, in quo stadio præsertim hoc vel illud medicamentum salutare sese præstiterit; cum efficientiæ illæ, sensibilitas et contractilitas, in tetano in abnormali actione vere alternare videantur, quam ob rem ægroti sæpe sub tali paroxysmo, in talibus momentorum ultimis luctis moriuntur, sanatio morbi difficilis est, et effectus optimi alternantis opii et alcali usus intelligi possunt; cum contractilitas hic ad maximum gradum excedere videatur [1]), (quam ob rationem *Stütz* credit, abnormalem oxygenii accumulationem in systemate musculoso in culpam esse trahendam), vix censemus, mercurium hic admodum indicatum esse, nisi forsan primo initio atque ubi quoque venæsectiones et reliqua antiphlogistica desiderantur. *Harles* [2]) ejus usui in tetano valde se opponit, et alii usum inunctionis mercurialis ad casus restringunt, ubi sequela hydrocephali acuti vel chronici tetanus est [3]); dum vix aliquod remedium datur, quando mors sub hac momentorum pugna instat.

1) Cfr. *Haase* über die Erkenntniß u. Cuur der chron. Krhtn 1817 2ter Bd. Pag. 40.

2) vid. *Wather* l. c.

3) vid. *Hasse* l. c. p. 49.

VII.

Usus hydrargyri in hydrophobia.

§. 54. Cum multi auctores hunc atrocem morbum conjunctim cum tetano tractaverint, et jam similitudinem annotaverimus, quam inter hunc et illum assumserint, nobis quoque post tractationem tetani placet examinatio hydrophobiæ, ut morbi, in quo laudatum est hydrargyrum a de *Haen*, 1) *Saulquin*, 2) *A. Vogel*, 3) *Odhelio*, 4) *Johnstone*, 5) et multis aliis, dum etiam *Tissot* dicit, mercurium hic easdem vires bonas ac in syphilide habere, et *Anton Portal* eum et prophylacticum et curans habet.

1) ratio med.

2) In journ. de med., chirurg. et pharmac. T. XXX 1768.

3) Acad. prælect. de cogn. et curand. præcip. corp. humani affect. 1752, adscribit is mercurio vim specificam, qua virus sensim enervatur et demum exstinguitur.

4) In Der königl. schw. Academ. der Wissensch. 1775, a. d. Schw. von Kästner.

5) Mem. of the medic. societ. of Lond. Vol. I 1787; suadet gr. II calomell. in ore inungere et sensim sensimque cum saliva deglutire, quam præsertim contagio effectam esse et sic cum merc mixtam nocivam qualitatem perdere putat *Richter* (Bibliot. 10ter Band Pag. 256.)

In hoc morbo, cui *Sauvages* [1]) censet mercurium mederi secretionem largam salivæ producendo, dum dicit, illum organismum ad fluida producenda, quibus horror gravis adsit, et ad secretiones aquosas copiosas cogere, qua ratione oppositio morbo specifica producatur, vidimus, quomodo *Walther* [2]) causam proximam determinet et mercurium suadeat, atque sic bene declarari potest ratio ejus efficaciæ. Inflammatio nervorum, dicit *Walther* [3]), in hydrophobia quoque existit; in affectione nervosa generali, dicit noster cl. *Callisen* [4]), causa morbi quærenda est; et sane omnia symptomata monstrant, sensibilitatem extra normam ascendisse et reactionem organismi fere enormem esse. Ita nobis elucet ratio, cur diu in corpore morbus latere possit, donec causa quædam, in sensibilitatem agens

1) Vid. *Walther* l. c. p. 273.

2) Vid supra.

3) Vid. supra.

4) l. c. p. 661. *Odhelius* l. c. putat, hydrophobiam non esse inflammationem, sed sequelam incitationis fortis, spasmum producentis. — Ob hanc incitationem, quæ in hydrophobia observatur, dissuadent mercurium *Fernur* (medic. facts & experim. 1791 Vol. I) et *Benedict* (Ideen zu Begründ. einer ration. Heilmeth. der Hundswuth 1808) sed a *Haase* (l. c. p. 253) luculenter, si etiam haud rationibus nostræ sententiæ faventibus, refutantur.

igiturque receptivitatem excitans, eum producat; cur timor ægroti ad exortum multum tribuere possit; cur, quo sensilior sit ægrotus, eo citius accedet et pejus evadat malum; cur infantes et foeminæ citius illo corripiantur quam viri; cur sub coelo calido, in quo sensibilitas semper major sit, et magis alatur, frequentior et gravior sit morbus quam sub coelo frigido; et cur symptoma etiam alius morbi esse possit hydrophobia; cur intermittere et remittere queat, dum jam consumitur et jam restituitur sensibilitas; cur irritatio vulneris inflicti ob derivationem in unum locum sensibilitatis morbosæ indicetur et prosit; cur etiam sæpe phlebotomia sæpe repetita utilis fuerit [1]); cur belladonna, remedium tanto gradu vim nervorum intensam refringens, hic tam celebrata sit; cur denique mercurius, illud metallum, quod vi maxima sensibilitatem, efficaciam organismi, quæ in illo morbo minuenda, deprimendi polleat, maximis laudibus hic celebratus sit; dum forsan etiam in censum venit actio morsus canis rabidi in systema lymphaticum [2]), in quod jam vidimus, hydrargyrum

1) Vid. *Robert Bourton* in med. & physic. Journ. Vol. XIV p. 34; et *Schoolbred* (in *Hufelands* Journ. 39ter Band 1stes St.) dicit, venæsectiones hic efficaciam organismi vehementem minuendo agere.

2) Cfr. *Walther* l. c. p. 274 et *Jahn* l. c. p. 381.

maximum influxum habere. Verum mox initio et magnis dosibus id esse adhibendum, theoria nostra jubet et experientia applaudit, uti etiam pro dolor! fatendum est, mercurium vix hujus morbi atrocissimi tutum et certum medicamentum esse, et hydrophobiam adhuc investigationem ulteriorem desiderare. In morsu serpentium [1]) quidem eodem modo actio nostri remedii explicanda est.

VIII.

Usus hydrargyri in rheumatismo.

§. 55. In hujus molestiis, ægrotum tanto gradu vexantibus, mercurius etiam a multis laudatus est et cum bono fructu porrigitur [2]); et præsertim in ea rheumatismi specie, ubi producta luxuriantis reproductionis observantur, ubi intumescentia, exsudationes jam aquosæ,

1) Vid. Hufelands J. 38ter Bd. 1stes St. P. 59.

2) Cfr. *Hildebrandt* merc. dulc. laudes p. 66. Lentin Beytr. zur Arzneyw. P. 292. Cullen Anfangsgr 1ster Th. P. 508. *Hamilton* l. c. *Heller* in *Hufelands* J. 15ter Bd. 2tes St. *Lind* med. journ. T. VIII; *Müller* l. c. qui sic loquitur: "meine Beobachtuug, welche die trefflichen Wirkungen des Mercurs in diesen schmerzhaften Krhtn beweisen, würden zu einem dicken Buche anwachsen, wenn ich sie erzählen wolte."

jam gelatinosæ locum habent [1]). Hæc, et observatio, mercurium maxime infantibus et juvenibus convenire [2]), præsertim in illis speciebus acutis, quæ similitudinem magnam cum angina polyposa quoad naturam habeant, adhibendum esse [3]), sat declarant, cur vere tam efficax contra rheumatismum reproductionem quoque morbosam sedans et vasa absorbentia incitans esse possit, quod simulcum nostra theoria adhuc magis confirmatur annotatione *Hegewisch* [4]), haud eum indicari in senibus nec in aliis speciebus, uti rheumatismo vago, nec ubi nisum destructivum morbus manifestet.

IX.

Usus hydrargyri in arthritide.

§. 56. Arthritidi, rheumatico morbo admodum simili, cum optimo successu ope mercurii mederi tentarunt medici [5]); et reputantibus, etiam hic reproductionem extra limites va-

1) Cfr. *Hegewisch* l. c. p. 85.

2) Vid. *Schönemann* in Hufelands J. 20ter Bd. 1stes St.

3) Vid. Horns Archiv 1817; 2ter Bd. P. 21.

4) l. c.

5) Cfr. *Musgrave* de arthritid. spibus T. II 1769 p. 16; *Falk* l. c.; *Hamilton* l. c.; *Jahns* l. c. p. 144.

gari, et initio speciem inflammationis adesse [1]), etiam hic sensibilitatem, uti in rheumatismo, morbose affectam esse [2]), elucet ratio vis salutaris nostri metalli, uti regula valere debere videtur æque in arthritide ac in rheumatismo, initio morborum mercurium opponere, et cum diaphoreticis usum combinare [3]). Arthritis autem debiliorum, a diuturna organorum digestionis vel uropoeticorum vel genitalium affectione orta, hydrargyrum non indicat.

X.

Usus hydrargyri in efflorescentiis.

§. 57. Cum hæ omnes, quemcunque locum etiam teneant, quocunque nomine etiam gaudeant, producta sint utplurimum reproductionis morbosæ, malam directionem habentis [4]), et mercurius, ut vidimus, remedium sit nutritionem et chrystallisationem vivam compescens, non solum producto, verum etiam nisui ad ejus

1) Vid. *Jahn* l. c. et *Ludolf* de arthrit. tanquam inflammat specie 1752.

2) Vid. *Haase* l. c. p. 330, 2ter Bd.

3) Cfr. *Jahn* l. c.

4) Cfr. præsertim *Jahn* & *Hegewisch* l. c.

abnormalitatem infestum [1]), haud singulares nobis videri oportet laudes, quas sibi hic acquisivit metallum in scabie, herpete etc. [2]), quas vix acrimoniam morbosam et imaginariam corrigendo sanat [3]). Multi quidem in *lepra* mercurium rejiciunt, sed jam antiquis temporibus cum utilitate in usum hic tractus est [4]); et cum etiam characterem morbi productionis habeat [5]), analogia ejus usum hic defendit; sed quoniam cito in cachexiam universalem transit, et sæpe cum scorbuto complicata est, elucet, cur hydrargyrum vel serius vel contra indicationes adhibitum, sæpe morbum depravaverit nedum sanaverit. Idem quoque de ejus usu in *trichomate* dici potest, quod quoque cito cachexia corporis sese insignit; idem etiam de *sycosi* (yaws) et *thymiosi* (pians) valet, quorum causæ forsan mox status asthenicus et corruptio humorum sunt, et ubi igitur, quamquam laudatur [6]), haud conducere

1) Vid. supra et *Hegewisch* l. c. p. 59.

2) Vid. *Brambilla* in Abh. der chir. Acad. zu Wien 1784; Hufelands Journ. 10ter Bd. Pag. 121. *Wendelstadt* ibid. 28ter Bd 5tes St. Pag. 76/77.

3) Vid. *Falk* l. c. p. 117 et 121; et *Hegewish* l. c. p. 91.

4) Vid. *Hensler* von abenland. Aussätze im Mittelalter 1792 Pag. 92 et aliis locis.

5) Vid. *Jahn* l. c. p. 434.

6) Vid. *Jahn* l. c. p. 430.

posse videtur hydrargyrum. Denique pro nostra sententia annotandum est, mercurium optimum repertum esse in efflorescentiis infantum, uti tinea, crusta lactea, crusta serpiginosa, etc. nec indicatum esse in impetigine scorbutica vel ubi reproductio debilitate afflicta esse videtur. [1]).

XI.

Usus hydrargyri in hydrope.

§. 58. Non pauci sunt, qui contra collectionem seri morbosam mercurium cum bonis effectibus porrexerunt, et multa exempla etiam nostris temporibus applicationem haud rejiciunt; differunt autem declarationes, quomodo hic agat medicamentum illud, atque, ut virtutes mercurii quoque a *Hegewisch* [2]) in hoc morbo laudati intelligere possimus, consideranda est differentia specierum hydropis, examinanda est causa, cui sese opponere valeat metallum. Nam certe non omnis hydrops per hoc curari potest, ubi "infarctus, lympha coagulata" adsunt, cum hæc producta a multifariis causis dependere possint. In genere in hydrope segnities vasorum absorbentium in

1) Cfr. *Hegewisch* l. c.

2) l. c. p. 91.

culpam trahitur, licet in multis casibus e contrario nimia vis vasorum secernentium, quorum secretis necessario, et per antithesin et ob nimiam copiam, actio absorbentium haud respondere possit, accusanda sit. Hoc spectato remedia, quæ hanc productionem minuere et partim ob hanc diminutionem, partim per polaritatem vires vasorum desassimilantium restituere valeant, congrua esse videntur. Mercurium esse tale medicamentum vidimus, dum præsertim, id quod admodum nostram theoriam confirmat et experientia probatur, prodesse videtur, ubi extravasata principiis albuminosis, reproductionis avidis, abundant [1]), et ubi igitur dispositio illa ad reproductionem morbosam clare manifestatur; quam ob rem etiam sæpe in talibus extravasatis hydatides genitæ, atque oculo armato animalia infusoria, conservæ etc. observata sunt; porro, ubi chronica inflammatio in abdomine adest, non valde ab illa specie acuta in puerperis differente [2]); in omnibus hydropibus, quæ sæpe febres exanthematicas, variolas, morbillos, scarlatinam, morbos, qui omnes characterem reproductionis abnormalis sibi impressum habent,

1) Vid. *Hegewisch* l. c. p. 92.

2) Vid. ibid.

insequuntur [1]), dum ita illa reproductio alio modo alioque morbo sese repræsentat. Sæpissime autem a debilitate oritur hydrops, cui hydrargyrum nullo modo salutem afferre potest; uti est nociva ejus vis, quando diu duravit et increvit morbus, reproductione admodum labefactata, et nocet in senibus, ubi organa nutritionis inertia maxima laborant, ubi scorbutica dispositio adest et humores omnes resolutionem produnt.

Hæc de omnibus hydropis speciebus valent, et modo nobis liceat mentionem particularem de *hydrocephalo* facere, in quam speciem præsertim auctores hydrargyrum laudibus accumularunt. Plures [2]) a vi incitante ejus effectus derivant, alii [3]) ab incitatione canalis intestinalis, qua diarrhoea producitur, alii [4]) id commendant, ut infarctum resolvens, obstructionem in vasis cavitatis cerebri resorbentibus tollens atque ad extravasata revehenda vasa apta faciens; et num quid magis nostram confirmat declarationem de actione mercurii quam magna hujus efficacia in

1) Cfr. Horns Archiv 1816 1ster Bd.

2) Vid. *Wolff* in Hufelands J. 15ter Bd. 3tes St.

3) Vid. *Flies* ibid. 17ter Bd. 1stes St.

4) Vid. *Arcly* in Saml. auserl. Abh. 6ter Bd.

cerebrum, uti sedem nervorum? *Percival* [1]), qui in genere sententiæ favet, mercurium per specificam ejus actionem in cerebrum agere, opinione rejecta, quod ut purgans sanet, cum diarrhoea e contra impedienda sit, dicit, partem totius massæ sanguinis decimam per cerebrum moveri, et suspicari licere, mercurium in hoc systema vasorum, vi horum magnitudini et volumini proportionata, agere, quam ob rem observatum esse in casibus, ubi nulla salivatio insequeretur, sudorem capitis notabilem exoriri, idque magnam lucem modo mercurii medendi in genere dare. Diversa licet via igitur ad eundem scopum ac nos pervenire videtur, sed ut effectum primarium ille considerat, quod tamen sine dubio nil aliud est quam symptoma vis principalis in nervos et sic in sensibilitatem hydrargyri, cum quidem valde absurdum esset sanationes innumeras cæterorum viscerum et partium corporis per mercurium ex ejus specifica in cerebrum actione declarare.

§. 59. Argumenta pro nostra sententia etiam sequentes observationes sunt, quoad vim mercurii in *hydrocephalo* factæ.

1) ibid. 14ter Bd.

1) Omnia symptomata initio indicant, vires vitales in cerebro nimis intensas esse et primum stadium speciem inflammationis manifeste esse[1]).

2) Inflammatio hæc ad exsudativas referenda est, dum hic aqua productum efficit[2]).

3) Mox initio convenit præsertim mercurius[3]); et annotandum est, præsertim in causas agere debere medicum, et melius morbum averti quam sanari, cum enim, quando jam notabilis copiæ effusio locum habet, vix spes sanationis restet; in hunc nisum igitur vasorum aquam deponendi, in hanc speciem inflammationis exsudativæ quidem sine dubio præsertim agit metallum.

4) Optimi et fere mirifici hydrargyri effectus sunt apud infantes[4]) in illo morbo gravi,

1) Vid. medic. comment. by *Duncan* p. 1; *Dobson* et *Hunter* in medic. observ. & inquires Vol. VI. 1784; *Campbell* in medic. comment. Vol. IX. 1785. *Henke* l. c. p. 114.

2) Vid. *Hegewisch* l. c. et supra.

3) Vid. *Heinecken* in Hufelands J. 32ter Bd. 3tes St. Pag. 30 et *Schæffer* ibid 37ter Bd 1stes St. Pag. 61, qui narrat, quendam sub ejus cura mortuum esse quia stadium inflammationis jam finitum esset, et hanc ob rem mercurius *non* ulterius utilis esse posset. *Dawis* (in Journ. d. ausl. med. Litt. 1804, 2ter Bd.) post porrectum mercurium in hoc morbo mox pulsum minus fortem fieri observavit.

4) Cfr. *Henke* Entwicklungskrhtn Pag. 114 et *Heinecken* l. c.

qui sub nomine *hydrocephali acuti* periculosissimus est; nam sensibilitas hic in cerebro ad maximum gradum exaltata est, quam ob rem omnia, quæ eam huc determinare valent, morbi causæ esse possunt; et reproductio morbosa et extravagans, ob evolutiones necessarias organismi infantilis evocata, nimia introque versa symptomata gravissima hic excitat [1]). Ita drastica fortissima hoc in modo sensibilitatem a cerebro derivando optimum levamen præstiterunt, ita haud singularis est incredibilis quantitas hydrargyri, quam corpus infantile hic ferre potest [2]). Morbum hic avertere mercurium credimus sensibilitatem illam et reproductionis nisum domando.

5) Laudes, quibus Digitalis [3]) hic proxime post argentum vivum atque etiam in cæteris hydropis speciebus celebratur, quam fortiter nostram sententiam sustentent, elucet ex iis, quæ supra memoravimus de consensu quodam actionis utriusque remedii.

6) Vix autem indicatus est vel juvat mercurius, si in progressu alicujus hydropis genera-

1) Cfr. *Henke* ibid.

2) Vid. *Heinecken* l. c.

3) vid. *Henke* et *Heinecken* l. c. p. 31.

lis, sub totali organismi debilitate, ad finem quoque serum ob laxitatem vasorum in cavitate cranii effunditur et hydrocephalum producit.

XII.

Usus hydrargyri in diaboete.

§. 60. Contra hunc morbum, in quo diuresio quantitate aucta et qualitate alienata excellit et cujus plures species dantur, non singulare est, dicit *Jahn*[1]), quod mercurius adhibebatur, cum omnia ejus genera, quamcunque causam etiam habentia, tamen manifeste morbos reproductionis indicent. *Scott*[2]) duos ægrotos illius ope sanavit, aliis frustra in usum tractis, atque *I. Frank*[3]) eum cum fructu adstringentibus junctum adhibuit. Morbo autem considerato, quamcunque causam proximam, sive auct. *Frank* stimulum illi in hydrophobia similem, sive hyperoxygenationem systematis assumamus, clare elucet, haud augmentum reproductionis, sed contra ejus debilitatem adesse[4]), atque

1) l. c. p. 501.

2) Medic. comment. Edingb. dec. III. T. 1 p. 190.

3) Heilart in der klin. Lehranstalt zu Pavia Pag. 292.

4) Ubi haud ad animalisationem ingesta redigi possunt sed modo mutationem vegetabilem adipiscuntur, vid. Jäger l. c. et *Henke* Handb. der sp. Patholog. 2ter Bd. Pag. 286 - 288.

prӕternaturaliter actionem vasorum absorbentium esse incitatam [1]); cum diӕta nutriens cum roborantibus juncta plurimum faciat, cum causӕ sint debilitas post alios morbos superstes et evacuationes notabiles, cumque sӕpe morbus phthisi terminetur [2]), et nil mirum igitur, si exempla efficaciӕ metalli tam pauca hic adsint. Forsitan in illis casibus apud *Scott* antecedentia remedia magis fecerunt; et apud *Frank* adstringentia sanarunt, vel nulla diaboetes vera, characterem reproductionis labefactatӕ in se habens, adfuit, sed symptoma alius morbi, in quem agere potuit cum bono effectu hydrargyrum. Cӕterum, vi metalli in hoc morbo improbabili facta, natura hujus mali velis densissimis adhuc tecta est, ut quidem non audeamus aliquid pro et contra dicere quoad usum tot remediorum maxime differentium atque inter ea mercurii, quӕ laudata, rejecta, et iterum iterumque in diaboete recepta fuerunt.

XIII.

Usus hydrargyri in dysenteria.

§. 61. Usus mercurii in dysenteria admodum antiquus est, jam a *Libavio* [3]) commenda-

1) Cfr. *Consbruch* l. c. T. II. p. 171.
2) Cfr. *Home* in chemic. experim. Edit. 2da p. 319.
3) In Hornungia cista med. 1625 p. II.

tus, postea maxime a medicis anglicis laudatus[1]). *Iahn*[2]) credit, sub quaque causa subsistente hydrargyrum hic convenire; plurimi autem ejus adhibitionem ad speciem inflammatoriam restringunt[3]); et quando divisiones hujus morbi respicimus sc. in sthenicam inflammatoriam, in pituitosam, catarrhalem, verminosam, saburralem, putridam et nervosam, in plurimis speciebus nostram theoriam per usum hydrargyri valere vidimus. Si quoque illa auctorum examinamus", omnia emetica, evacuantia et diaphoretica, quæ in usum trahantur, si non, ut putetur, per eliminationem acrimoniarum, bilis vel saburræ, tamen per depressionem sensibilitatis detractione humorum effectam juvare"[4]), si ad symptomata respectum habemus quæ etiam hic exsudationem locum habere probant[5]), admodum verosimilis redditur etiam

1) Vid. *Mead* monita et præc. med. 1751 p. 112. *Houlston* Bem. ub. die Gifte u. Gebrauch des Quecks. bey hartnäckigen rothen Ruhren a. d. E. 1786. *Lind* in Saml. auserl. Abh. T. XII. Pag. 101.

2) l. c.

3) Vid. *Hecker* Kunst die Krhtn zu heilen 2tr Th. *Horns* Archiv 1816 1ster Bd.

4) Vid. *Horns* Archiv ibid. Pag. 1081.

5) Cfr. *Hegewisch* l. c. p. 90.

contra dysenteriam efficacia hydrargyri; et sive in specie inflammatoria eodem modo ac in inflammationibus in genere præsertim jubetur [1]), sive in catarrhali [2]), sive, ubi in regionibus calidis cum hepatitide conjunctus est ille morbus, confirmatur nostra explicatio de actione hydrargyri, maxime quoque consensu auctorum, tantum abesse, ut in specie putrida aut nervoso-asthenica adhibendum sit, ut potius maximum damnum inferat [3]). Evacuationes, quas ante hydrargyrum esse producendas dicunt, eliminationi saburræ quacunque causa collectæ inserviunt, et sic efficiunt, ut melius mercurius, ulteriorem exsudationem domans agere valeat.

XIV.

Usus hydrargyri in infarctibus.

§. 62. In omnibus infarctus speciebus mercurius laudatus est, de quo hoc respectu, sic loquuntur *Albin et de Horn* [4]): "divellit particulas pituitosas sola sua gravitate, ab invicem sejungit, et ab iis factas in partibus solidis ob-

1) Vid *Horns* Archiv l. c. p. 1080.
2) Vid *Lind* in Lond. med. journ. T. VIII.
3) Vid. ibid.
4) l. c.

structiones deobstruit". Ad causas hic præsertim respiciendum est, contra quas multifarias diverso modo agere potest mercurius, dum jam sensibilitatem deprimendo contractilitatem, vim movendi vasorum, auget, jam reproductionem morbosam, qua nimium in uno loco deponitur [1]), compescit, jam eodem tempore vasa absorbentia stimulat ad humores, qui obstructiones efficiunt, absorbendos, jam ob qualitatem sanguinem magis venosum faciendi [2]) et hydrogenium cum corpore communicandi [3]) obstructa magis aquosa, tenuiora et aptiora ad resorptionem reddit [4]). Cum autem multæ aliæ causæ subesse possint, contra quas nil valet mercurius, igitur quoque sæpe frustra in usum trahitur. Quod omnia supra dicta præsertim de *infarctu hepatis* [5]) valeant, facile elucet, cum organon sit reproductionis atque maxime venosum, et jam observaverimus, hydrargyrum notabiliter in hepar agere, quo etiam ejus vis declarari debet in *calculos biliares* [6]); major etiam

1) Vid. nost. cl. *Callisen* l. c. Vol. II. p. 3.

2) Vid. supra.

3) Vid. supra.

4) Vid. *Callisen* l. c.

5) Cfr. *Clark* in Duncans comment. Dec. II. Vol. IV. 1790.

6) Vid. *Mosovius* diss. de calcul. animal. eorumque imprimis biliarium origine et natura 1812 in *Reils*

in obstructionibus glandularum, quæ sint organa reproductionis, efficacia ejus observatur. Tempestivus autem usus mercurii in illis infarctibus esse debere videtur, et quando tota hepatis substantia destructa est, mercurialia nocent[1]. Quod toties vero cura per mercurium in obstructionibus haud succedit, sæpe ob nimium protractum ejus usum accidit, quo vasa absorbentia, initio per remedium incitata, demum etiam debilitate afficiuntur.[2]

XV.

Usus hydrargyri in ictero.

§ 63 Huic multi cum optimo levamine opposuerunt hydrargyrum[3], et causæ quoque multifariæ in censum veniunt, quæ aut acuti aut chronici morbi esse possunt. Cum hi autem præsertim in hepate sedem suam habeant, e supra notatis effectus mercurii optime eruuntur, qui etiam bene intelliguntur, si pituita vel vermes primas vias occupant, dum icterus, cujus

Archiv 4ter Bd., qui etiam mercurium hic ob vim hydrogenis andi efficacem esse putat.

1) Vid *Pemberton* l. c. p. 470.

2) Vid. supra

3) Vid. *Jahn* l. c. p. 380 et 401.

causas detegere non possumus, ut morbus reproductionis generalis considerandus est [1]), in cujus abnormalitates efficacissimus est mercurius, et, ubi cum statu cachectico et debilitate organismi magna conjunctus observatur, rejiciendum est metallum.

XVI.

Usus hydrargyri in phthisi pulmonali.

§. 64. Non quidem illi, qui in hoc morbo mercurium laudaverunt [2]), censere potuerunt, illud remedium efficax esse, ubi reproductio usque ad minimum descenderit, id quod in absoluta phthsi apparet, in qua omnes functiones hac de re languescunt et debilitas universalis adest; uti sine dubio angusta erat spes apud ægrotum phthisicum in statu misero, ubi jam abscessus vel tubercula in pulmonibus adsunt, et morbus characterem reproductionis maxime labefactatæ exprimit, aliquid ab exhibitione hydrargyri exspectare. Si igitur adhibendum sit ac unquam utile fuerit, magis ut prophylacticum quam curativum considerandum est, ma-

1) Vid. ibid p. 413.

2) Vid. *Hecker* l. c. 2ter Th. *Watson* in the philadelph. medic. museum Vol. II. No. 1 1805.

gisque insequentem hanc miseriam maturius porrectum in dispositione ad hanc gaudentibus avertit; in pneumonia e. g., quando sensibilitas morbosa in corpore præsens præsertim pulmonibus inhæret, quandoque ad exsudationem, depositionem materiæ plasticæ in his organis nobilibus sanguis vergit; uti etiam *Hecker*[1]) annotat, ejus usum in hoc malo contra inflammationes, morbum scrophulosum et syphiliticum circumscribi, et metallum non apud admodum debiles, nec in fortioribus præparatis, atque cum aliis remediis conjunctum esse porrigendum. *Jäger*[2]) ita censet, saturnina, emetica, itinera maritima, modo in phthisi nimiam sensibilitatem in systemate vasorum obtundendo forsan agere; qua methodo quidem haud causa morbi consumtionis, sed una tamen conditio febris hecticæ tollatur, et sic quidem celer tabis decursus compescatur, ut hectica humorum qualitas aliis remediis emendari possit.

XVII.

Usus hydrargyri in ulceribus.

§. 64. Utilitatem mercurii in ulceribus impuris *Albinus* et de *Horn*[3]) censent, exinde deri-

1) l. c.
2) l. c. p. 267.
3) l. c.

vandam esse, quod metallum se cum salibus, quæ efficiant ulcera et corrosiones, jungat, sic ea depuret, et circulum restituat humoribus; *Falk* [1]) vero, qui hydrargyrum remedium specificum contra omnia ulcera cujuscunque speciei habet, ejusque usum probatum in omnibus observavit, hanc præstantiam a vi metalli, omnem acrimoniam in omni ulcere præsentem destruendi, declarat. Sed cum auctores in eo consentiant, in ulceribus impuris hydrargyrum tam bonum esse, necesse est, ut causa hujus impuritatis investigata rationem hujus in sensibilitate morbosa, ad ulcera derivata, ponamus. Nam ulcus purum illud est, quod nisum habet normaliter se reproducendi, impurum vitio hujus laborat atque abnormalia producta hanc ob rem format [2]); et fere idem est, utrum pro hac reproductione, abnormaliter in loco aucta, stimulum localem, qui vasa incitando humores alliciat [3]), an quandam inflammationis speciem [4]), an sensibilitatem morbosam localiter præsentem in culpam trahamus. Ob hujus depressoriam vim mercurius ulcus impurum ad purum mutat,

1) l. c.
2) Vid. *Hegewisch* l. c.
3) Cfr. *Falk* l. c. p. 147.
4) ibid.

quia tunc etiam reproductio illa præternaturalis, quæ et in fundo et in marginibus conspicitur [1]), in normalem vertitur, qua normalitate ad pristinum statum reducta, non amplius opus est mercurio. Haud autem convenit, ubi reproductio non viget, uti nec in ulceribus putridis nec scorbuticis.

§. 65. Quoad laudes denique hujus metalli in morbis *spasmodicis*, quas nonnulli præ se ferunt [2]), alii autem rejiciunt [3]), admodum quidem in censum venit, utrum hi spasmi, phænomena contractilitatis, ab hujus augmento et prævalentia exorti sint, an magna sensibilitas adsit, sed ob localem irritationem vel alios casus ad certa loca derivetur, et sic contractilitas in aliis partibus, a quibus cedit illa, libera reddatur, vel ab ea in loco ipso excitetur [4]). Sic. e. g. in foeminis quidem optima sanitate fruentibus, quando menstrua instant, motus spasmodici sæpe in externis partibus exoriuntur, qui sæpe usque ad convulsiones increscere possunt. Num inopia sensibilitatis et hanc ob rem explosiones contractilitatis hic in culpam trahendæ sunt? nonne

1) Vid. *Hegewisch* l. c.

2) Vid. supra et *Walther* l. c.

3) Vid. *Harles* apud *Walther* l. c.

4) Vid. supra.

potius illæ propter sensibilitatis ad partes genitales derivationem, qua a peripheria corporis retrogreditur, superveniunt? Similis causa etiam forsitan, uti supra dictum est, tetano subjacet. Ob vim sensibilitatis, contractilitatem excitandi, quæ etiam admodum illa eget, sæpe, si illa nimia est, phænomena spasmodica exoriri valent, haud tamen ea vehementia, quia, licet mobilitas contractilitatis existat, vere tamen hic modus relative succumbit. Repetimus, multos auctores debiles nervos assumsisse, ubi contra sensibilitas superemineret, et incitantia adhibuisse in morbis, ubi debilitantia magis indicata essent Exinde forsitan pertinacia multorum morborum spasticorum, et defectus boni medicaminum successus, elucet; exinde patet, in multis illorum casibus metallum nostrum, intus vel extus applicatum, efficax esse posse, in multis aliis autem manifeste nocere. Qui hi vel illi sint, inquirere, si etiam vires sufficerent, non ad nostrum scopum pertinet; nobis sat est, hoc discrimen indicavisse et annotare, quod conducere mercurius in multifariis spasmis possit, qui originem habeant e causis, quas tollere valeat ille. In *paralysi* et *amaurosi*, in quibus etiam vis metalli bona observata est [1]), vix alio modo

1) Vid. *Willis* de anima brutorum 1642.

utile esse potest, quam certas causas, quæ illos morbos producere valent, uti inflammationes, infarctus, degenerationes glandularum circa nervum opticum [1]) etc. removendo; nec ulla ejus efficaciæ exempla habentur in speciebus, quæ ob sensibilitatem vere exstinctam exortæ sunt, in quibus nocivus habendus est mercurius, sensibilitatis venenum.

§. 67. Qui restant morbi, adversus quos mercurius laudatus est, facile ad alterutram morborum classem, de quibus mentio fuit, referri possunt; sufficiunt enim allata ad demonstrandum, quomodo etiam nostra declaratio de actione hydrargyri cum practico metalli usu congruat et in eo nullas objectiones reperiat. Postquam sic, et rationibus theoreticis et applicatione practica, sententia mea firmata est, finem meo impono operi his Ciceronis verbis: ut potui, explicavi nec tamen, ut Pythius Apollo, certa ut sint et fixa, quæ dixi, sed, ut homunculus, probabilia conjectura sequens.

1) *Albin* et de *Horn* l. c.

S p h a l m a t a.

Pag. 2 Lin. 23: empericum, *lege:* empiricum
— 6 — ult.: afirmant, *lege*: affirmant
— 8 — 16: instinali, *lege:* intestinali
— 11 — 17: germanum, *lege:* germanicum
— 17 — 13: commutatantur, *lege:* commutantur
— - — ult.: pharmacolopa, *lege:* pharmacologia.
— 18 — 5: sæpi, *lege:* sæpe
— - — 10: præsparativum, *lege:* præparativum
— 20 — 23: transpirabile, *lege.* transpirabi i
— 38 et 39: jam maturius etc. in alterum." in nota essent afferenda
— 41 Lin. 19: traxerunt, *lege*: traxerint
— - — 22: nisus et, *lege*: et nisus
— 77 — 2: hydraegyri, *lege*: hydrargyri
— 84 — 7: afluunt, *lege:* affluunt
— - — 8: copiosores, *lege:* copiosiores
— 101 — 4: atsque, *lege*: atque
— - — 12: observatur, *lege:* observatus
— 103 — 25: tentatu, *lege:* tentat
— 109 — 2: exsu quod a datio introrsum, id, *lege:* exsudatio introrsum, id quod a

---